
3 1761 06766208 0

JUS
TRANSSILVANICO SAXONICUM.

AUCTORE

LADISLAO QUONDAM **NAGY**

DE BRANYITSKA, I. F. U. C. ADVOCATO, PRAESIDEQUE DIVISORATUS SZÁSZVÁROSIENSIS.

EDITUM PER

LEOPOLDUM NAGY

DE BRANYITSKA,

I. F. U. C. ADVOCATUM.

CLAUDIOPOLI.

Typis collegii evang. reformatorum.

Per JOANNEM jun. TILSCH.

1845.

1815


LIBRARY
NOV 29 1967
UNIVERSITY OF TORONTO

INCLYTAE

INCLYTAE NATIONIS IN MAGNO
TRANSSILVANIAE PRINCIPATU
SAXONICAE

UNIVERSITATI,

SUMMA CUM DEVOTIONE,

INSCRIBITUR, CONSECRATUR.

Előszó.

Egy gyarmat, mely távúl honából merőben idegen népek között annyi hányódások 's küzdelmek után is nemzetiségét hét századokon keresztül fenntartani képes, becsülésre, 's az eszközök, mellyek e' képességet létesitheték, figyelemre méltók. — Ezen eszközök egyike a' római törvényekből merített municipalitas. Ez azon egybetartó lánez, mely a' politicai surlódások által többször enyészettel fenyegetett lételét az erdélyi szászoknak a' más kiváltságos nemzetek ellenében nemzeti polczra emelte. A' mindenkit kiváltság nélkül kötelező törvények védpaizsa alatt vívhata-ki magának az erdélyi németgyarmat politicai jogos befolyást, emelkedhete a' miveltség azon fokára, honnan távul honában hagyott testvéreit pirulás nélkül üdvözölheti. Hogy idő szelleme, körülmények hinték el a' magokat, melyeket mély belátásu gondos fejedelmek érlelének gazdagon termő élőfává, tagadhatatlan; de hogy e' nemzet felkentjei állták őrül az állodalom felett, szinte bizonyos. Sok vészt, nyomort, küzdelmet kiállott honunk bal 's jobb szerecséjéből osztozott e' harmadik nemzet is; 's ha egyéb nem is, a' hosszas együttlét, szokás, politicai viszonyok bonyolodása, e' nemzeteket egymásra nézt, nélkülözhetlenekké tevék. — A' magyar- székely- úgy mint a' szász nemzet egyformálag jogosított gyermeke e' honnak, 's ez értelemben testvérek, mindnyájan tagjai a' magyar szent koronának. A' magyar- 's székely nemzet kebelbeli törvényeiről halommal állnak a' törvénykönyvek, a' szász nemzetnek pedig nagyon parányi a' törvénykönyve, de józan.

A' testvér szász nemzetnek kebeli igazgatása és perfolyta módjáról rendszeres munkát adni-ki, nem hálátlan dolog; és egy ilyen munkának szerkezésében 's kiadásában fáradozott néhai szeretett édes atyánk, branyicskai Nagy László, melyre a' kiadhatási szabadalmat még 1822-b. megnyerte volt a' felsőbbségtől; de a' bekövetkezett házi terhes sulyos csapások egyfelöl, másfelöl körülményei változásai miatt hosszas fáradozásai méltó jutalmát, munkája kiadhatását meg nem érheté,

elragadtatva az övéi karjai közül az 1836-ik évi cholera által. 'S igy reánk is, oskolai pályánkat csak most végzett fiaira maradott azon gyermeki édes hálás kötelesség: közrebocsátani egy oly munkát, mely egy birálat szigor törvényeit aligha kiállhatja; de a' mennyiben az erdélyi szász nemzet kebelit örvényeinek könnyebb felfoghatására kulcsul szolgálhat, minden esetre figyelemre méltó; annyival is inkább, midőn a' legújabb felséges udvari rendelmény szerint az ügyvédi hivatalt a' ns szász nemzet kebelében is folytatni akarók kötelesek az ügyvédi szoros megvizsgáltatást a' nemzet gyülése előtt kiállva, a' szabadalmat és engedélyt e' végre innepélyesen kinyerni.

A' mint mondók, e' kis munka ugyan távul áll a' tökély pontjától (osztán a' tökély képzete e' földön csak is egy ideál, felséges remek kép, melyhez csak alig közeledni, de elérni férfias küzdelmek után se lehet) pedig ez, még sem kicsiny köz, 's éppen azért ekkora morzsa is azon még csak halmocskához, melyből földet éggel összekötő magasságot emelni végetlen szép rendeltetése az emberiségnek, ér valamit; 's ő is tölt-bé egy pontocskát a' zavart eszmék tisztába hozatalát munkáló, eszközlő mozgalmak sorában.

Szászváros, julius 31-èn 1844.

Branyicskai Nagy Ignácz
hites ügyvéd.
„ Nagy Leopold h. ügyvéd.
„ Nagy Tamás ev. ref. pap.

DEDICATIO.

Permitte, Illustrissime ac Magnifice Domine subst. inclytae nationis saxonicae Comes, Domine Patrone Gratiosissime, Inclytae item Universitatis Saxonicae Judices, Assessores, Gravissimi, Consultissimi, Colendissimi! me palatium universitatis inclytae nationis in Transsilvania saxonicae adire, praesensque opusculum summa devotione patrocinio vestro substernere; quod licet leve, nec satis dignum tam clarorum et in juribus saxonicis versatissimorum virorum favoribus existimem, non indecorum tamen, imo conveniens fore ratus sum, illustri nomini vestro, profundissima veneratione inscribere, dedicare et consecrare; quoties enim ante oculos ponebam varii generis honores, quibus majores mei in hac parte fundi saxonici (unde videlicet universus populus privilegialiter incipit, finesque protendit) functi sunt, quoties animo volvebam nativitatem meam, amoenissimo fundo saxonico assignatam, quoties denique condigna aestimatione metiebar proxima tempora, quibus, munus meum, vitaeque meae dies (imprimis ab anno Domini 1800, quo nimirum, in sequelam benigni decreti regii, coram inclyta nationis saxonicae universitate, examen super legum saxonicarum et praxis judiciariae cognitione subire contigisset, mihi primo omnium, vestra cum approbatione) optata tranquillitate, sub paterna protectione inclytae universitatis obire, et numerare mihi licuit: toties ardentissima cura me urgebat, qua ratione, quove aptiori modo, devotionem erga inclytam nationem in Transsilvania saxonicam, publica quadam devoti venerabundique animi expressione contestatam redderem.

Operae pretium duxi, benevolos meos, si quos nanciscar, lectores, non ignorare: 1-o Opusculum hoc continere, 1) commentationem te-

nuem jurium transsilvanico saxonicorum, in codice legum contentorum. 2) Decisiones exc. curiae regiae, rescripta et decreta regia, prout et decreta exc. r. gubernii, quae in defectu legum statutalium, pro normativis habentur. 3) Constitutiones seu statuta inclytae universitatis saxonicae antiqua et recentiora. 4) E jure imperatorio (romano) quaedam capita juris, maxime necessaria. 5) Supplementum e jure imperatorio. 6) Adnotationes, ubi jus saxonicum a jure hungarico transsilvanico differret. 7) De privilegiis principum Transsilvaniae.

2-do Praesentes, fateor, exiguos lucubrationis fructus, publicae luci exponere satagens, non ingratus duntaxat, verum impius ex aequo omnium bonorum calculo judicari mererer, si silentio praeterirem, multum mihi adjumenti praebuisse manuscripta quaedam magnifici domini Martini Schech, judicis regii per aliquot annos, ad regendam inclyt. sedem Szászvárosensem a superioribus missi, non pridem pie defuncti.

Inclyta Universitas! ne modulos dedicationis transgressus esse videar, opusculum istud, exactissimo vestri judicii acumini, demisse offerre et substernere sustineo; quae vel resecanda vel immutanda vel addenda duxeritis, subtilitate censurae vestrae limare, corrigere et emendare dignamini; quo ita, pro praestanda in hocce opusculum liberalitate et munificentia, gratias vobis ago, quas possum devotissimas.

Faxit Deus, ut in templis vestris religio vera, in scholis scientiae et artes bonae, in foris justitia, in tota honestas, in universa denique natione tranquillitas publica vigeant, floreant, atque perennent.

Iis votis Dominus pondus inesse velit.

Szászvárosini, anno Domini 1815 mense novembri.

Introductio.

Rex quidam spartanorum, dixerat: beatissimam esse rempublicam, cujus fines hasta et gladio terminarentur; Pompejus id corrigens, beatissimam esse eam, quae justitiam pro finibus haberet, dicebat; fortitudinem enim nullam esse sine justitia. Omnium cujusvis populi constitutionum, societatum item coalendarum finis est justitiae administratio. Non abs re erit itaque de justitia aliquid praemittere.

Titulus 1.

De justitia.

§. 1. Justitia, sic dicta quod jus sistat ac statuat, definiri potest taliter: est voluntatis et actionum nostrarum externarum ad legem compositio.

§. 2. Quandoquidem homines alia jure perfecto, alia jure imperfecto a se invicem exigere possunt, seu, quod idem est, quaedam voluntatis et officii magis, quam necessitatis sunt: justitia recte in *expletricem* et *attributricem* dividitur. Illa est, quae cuique tribuit, quod jure perfecto debetur; haec est, quae cuique tribuit, quod voluntatis et officii magis est quam necessita-

tis. Itaque qui justitiam attributricem colit, honeste vivit, qui expletricem, is neminem laedit et suum cuique tribuit. Hinc facile intelligitur divisio justitiae in internam et externam; illa est, quae est attributrix, haec est ea, quae est expletrix, (wenn die Gerechtigkeit den Zwangspflichten entspricht.) Divisio justitiae in naturalem et legalem, divinam et humanam, non adeo usitata est et adaequata.

Titulus 2.

De jure et divisione juris.

§. 1. Nomen juris, quod vel a jussu seu jubendo derivatur, vel a justo denominatur, vel denique a justitia appellatur, multiplicem fundit significationem: significat 1-o id, quod justum est, sive quod divinae humanaeque legi consentaneum est. 2) Facultatem moralem aliquid agendi vel omittendi. 3) Judex legem ad facta applicando jus dicere dicitur. 4) Significat locum, ubi jus dicitur, hinc in jus ire, vocari, duci etc. 5) Legem ipsam. 6) Juris prudentiam et juris scientiam, inde juris-studiosi, jurisconsulti vel jurisperiti, juris-doctores. 7) Significat denique complexum legum seu collectionem legitimorum praeceptorum. Ultimo hoc sensu, tottuplex est jus, quotuplices sunt leges ipsae, quarum complexus est, hinc jus divinum, humanum, publicum, privatum, civile, criminale, montanum, salinale, forestale, postale etc.

§. 2. Jus pro lege sumtum varie dividitur, sicut ipsa lex, aliud est jus publicum, aliud privatum. Omne quidem jus stricte loquendo publicum est, nimirum, constitutione, auctoritate

et usu, sed utilitate aliud dicitur publicum aliud privatum, non quod id, quod publice est utile, non etiam privatim sit utile, nec quod privatim est utile, publice non sit utile, sed quod in hac juris distributione spectetur: cujus maxime principaliter intersit, totiusne reipublicae an singulorum? ut ita, quod privatim singulorum interest, id privatum sit, quod publice, publicum; hinc *jus publicum* est, quod principaliter ad imperium regimenque regnorum spectat, seu lucidius, est quod tradit jura et obligationes inter principem et regnum. Privatum est, quod ad singulorum utilitatem pertinet, puta privatam. Jus hoc privatum posset definiri sequenti modo: est quod continet jura et obligationes singulorum civium in civitate.

§. 3. *Jus civile*, est quod quisque populus vel quaeque civitas sibi proprium constituit, idque nec in totum a naturali recedit, nec per omnia servit ei, sed ei vel addit quid, vel detrahit, v. g. jus naturale praescribit nocentes puniendos esse, sed non praescribit quo genere poenae et jus civile addit aliquid, determinando poenam.

§. 4. Jus civile dispescitur in *jus civile speciale*, quod est: complexus jurium talium, quae personam privatam, et res privatorum concernunt, et in jus criminale, quod delicta et eorum poenas habet pro objecto. Dividitur porro jus civile in jus militare etiam, quod est: complexus jurium et obligationum statum militarem concernentium, et in *ecclesiasticum*, quod concernit statum ecclesiasticum.

§. 5. Non fugit porro jurisconsultos nomen juris positivi, quod jus ita dictum, quia ultra ea, quae jus naturale praecipit, prohibet vel permit-

tit, h. e. aliquid ponit. Idem est cum jure civili. Jus est etiam scriptum et non scriptum: *scriptum* sensu grammatico est, quod in scriptum est redactum, sensu juridico est, quod publica authoritate legislatoris conditum et literis expressum est. *Non scriptum*, est, quod usu et moribus introductum est.

Titulus 3.

De jurisprudentia.

§. 1. Jurisprudentia est objectiva et subjectiva, illa est notitia seu scientia jurium et obligationum legibus constitutarum, haec vero est habitus leges recte ac plene intelligendi, eas bene interpretandi et ad facta prudenter applicandi. Hinc jurisprudentia duabus absolvitur partibus, nempe scientia juris in abstracto, et scientia juris in concreto; illa, jura et obligationes legibus constitutas respicit, haec concernit leges ad facta applicando, unde duae partes enascuntur jurisprudentiae, theoretica et practica.

§. 2. Jam qui, et scientia juris in abstracto et scientia juris in concreto est instructus, audit is jure-consultus, ita, qui utroque jure transsilvanico gaudet, is est jure consultus transsilvanicus. Differt a jurisconsulto *legulejus* ita et *rabula*, ille, leges quas memoria tenet, non intelligit, hic vero sc. rabula ex malitia leges perverse applicat.

§. 3. E praemissis facile percipitur, esse differentiam inter justitiam, jus et jurisprudentiam, praecipue in tribus: 1. Quia justitia est virtus moralis, jus est ejus executivum et jurisprudentia est scientia illius juris. 2. Justitia

inter virtutes est summum bonum, jus medium et jurisprudentia infimum. 3. Justitia tribuit unicuique, quod suum est, jus vero coadjuvat, jurisprudentia autem docet, qualiter illud fiat.

Titulus 4.

De origine et progressu atque fontibus juris transilvanico-saxonici.

§. 1. Titulus hic de origine juris transilvanico-saxonici posset equidem in tres periodos dividi, quia tamen titulus hic agit privative de transilvano- saxonum jure et ejus origine, dividi potest in duas periodos, 1-ma incipit ab ingressu saxonum t. teutonum in hanc provinciam, et progreditur ad principem Stephanum Báthori de Somlyó usque, sive ab anno ingressus saxonum 1143, usque ad annum epochalem 1583.

§. 2. Quaeritur, quaenam in prima periodo saxones transilvanici habuerint jura vel leges? placet huc verba Valentini Franck de Franckenstein (comitis olim inclytae nationis saxonicae) auctoris Breviculi originum nationum in Transilvania, transferre: antequam autem saxones sta- „tuta (i. e. codicem jurium municipalium) sua „haberent, in ferendis legibus, antiquo codice „(norimbergensi manuscripto) qui adhuc in curia cibiniana visitur, et usque ad nostra tempora noviter inaugurati senatores impositis super eo digitis juramento reipublicae obligantur, et consvetudinario jure usi sunt. Quod vero jure consvetudinario usi fuerint, docet manifeste privilegium andreanum, insuper, praefatio et conclusio literarum principis Stephani Báthori confirmationalium, pro codice juris municipalis saxo-

num exhibitarum, in verbis: „etiam codicem ju-„ris municipalis seu legum et consvetudinum „longo usu et observantia receptarum etc. quo „referente, contenta ejusdem non modo juri et „aequitati respondere, sed etiam maxima ex par-„te apud ipsos saxones longa consvetudine ob-servari“ etc.

§. 3. Celebris Eder in suis observationibus criticis et pragmaticis ad historiam Martini Felmer transilvanicam, pagina 212-a nota* taliter scribit: „Vide ungarisch. Magaz. 1. 169. Seiwert eo „loco de codice statutorum norimbergensium in „usus saxonum apparato loquens ait: „Ich kann „sie heilig versichern, dasz dieses handschriftli-„che Werk daselbst (auf dem Rathhause zu Her-„manstadt) nicht mehr zu finden ist, und sein „letztes Schicksaal der Welt völlig unbekannt sey.“ „Hanc cibiniensibus incuriam adscribi aegre pa-„tior, compertum est mihi aliisque, ubinam hic „codex (utique eo jam loco, quo in armamenta-„riis clypei pharetraeque futurus) conditus sit. „Ceterum jus istud municipale norimbergensium „a saxonibus universe adoptatum fuisse, haud-„quaquam mihi credibile est, quum paullo post, „inde ab anno 1544 saxonum universitatem de „colligendis juribus consvetudinariis suae gentis „atque edendo jure scripto consilia agitasse, de-„cretaque edidisse videam in protocollo univer-„sitatis. Sed haec quidem decreta, innumeris „vicibus repetita, frustra fuere, dum denique „brassovienses longo post tempore hunc sibi con-„cinnandorum statutorum, quibus etiamnum sa-„xones utuntur, laborem sumsere.

§. 4. Quaeri posset, an jure romano usi fuerint in hac periodo! Esse potest hanc in rem argumentum, quod plurimae sententiae, imo

complura loca statutalia e jure romano, maxime ex institutionibus d. Justiniani imperatoris translata sunt in codicem hodiernum. Visus mihi dum haec scriberem exstitit, liber 39 annis confirmationem codicis statutorum excedens, sequente inscriptione: *Compendium juris civilis in usum civitatum ac sedium saxonicarum in Transilvania, collectum* 1544. Ausim hinc dicere: romano quoque jure usos fuisse saxones in prima hacce periodo. Librum istum elucubravit Joannes Honterus Corona transilvanus orbi literato satis notus.

§. 5. Secunda periodus incipit ab anno epochali 1583 usque ad hodierna tempora. In hacce periodo usi sunt, et etiam utuntur transilvano saxones saepe laudato codice jurium municipalium saxonum in Transilvania, a Mathia Fronio notario coronensi compilato, et per celeberrimum Albertum Hutter S. Syweg judicem regium cibiniensem, et quosdam aliarum civitatum officiales, in praefatione confirmationalium praesentes, socios, divo Stephano Báthori regi Poloniae (qui Transilvaniae principem se scripsit, jam rex Poloniae; Transsilvania etiam dominium ejus ita observabat, ut quoad vixit, nihil ardui, ipso inscio et inconsulto aggrederetur, imo diplomata quoque majoris momenti ipse corroborabat, Volfg. Bethlen) ad ratificandum exhibito, et anno 1683 die mensis februarii decima octava confirmato; qui codex subinde a principibus nationalibus et etiam e domo augusta austriaca oriundis confirmatus exstitit.

§. 6. Utuntur saxones transilvanici in suis foris judicialibus praeter hunc codicem et consvetudines, etiam jure imperatorio, innuente §-pho 7. t. 1. libri I-mi statutorum, per quod

jus imperatorium, sunt qui tantum institutiones Justiniani imperatoris intelligant, fuere, dum egomet coram inclyta universitate saxonica ad obtinendum agendi stallum censuram primus omnium subivissem, qui assererent, per imperatorium jus solummodo institutiones Justiniani imperatoris intelligi debere. Verum per imperatorium jus non institutiones solum, sed et digesta (pandectae) codex posterior atque novellae ejusdem imperatoris constitutiones intelligi debent, quia ex historia juris romani patet, singulas has juris romani partes mandata et auctoritate Justiniani imperatoris compositas esse atque editas.

§. 7. Utuntur transilvani saxones etiam illis legibus, quae in Approbatis et Compillatis constitutionibus, nec non in articulorum diaetalium novellarium serie continentur, aut subsequis temporibus emanatorum articulorum diaetalium et de illis in specie sonantium. (Novellares vocantur articuli annorum 1744, 1747, 1751, 1752, 1753, 1754 et 1755.) Tales leges et articuli de natione saxonica in specie sonantes esse possunt in Appr. Const. t. 80. p. 3-ae, t. 15. p. 4-ae. Edicta a 76-to usque ad 81 inclusive. Compilatarum constitutionum p. 3-ae t. 13. art. 4. notatu dignus. Art. 13. anni 1791, articuli 26-ti, puncti 6-ti sectio 2. art. 28 ejusdem anni. Huic articulo quidem contradixit natio saxonica, quae contradictio digna est, ut memoriae commendetur, exstat in protocollo diaetae anni 1791. pag. 137.

§. 8. Suas porro esse leges vindicat inclyta natio saxonica illas, quae de juribus dominii terrestralis et conditione colonicali in corpore juris hungarici ac in Approbatis et Compilatis

Transilvaniae legibus continentur, in administratione scilicet bonorum atque jurium possessionariorum, quae, fata natio jure nobilitari possidet. Talia bona sunt communitates illae, quae ad fundum quidem regium non pertinent, sed in favorem solum nationis saxonicae ab administratione comitatuum küküllőiensis et albensis, quibus antea ingremiatae fuerant, e peculiari regum Hungariae munificentia eo fine, ut onera ipsis incumbentia facilius supportare possit, exemtae, ac tam respectu jurisdictionis quam vero administrationis in qualitate bonorum nobilitarium, sub nomine bonorum 7 judicum, ea ratione nationi saxonicae collatae sunt, ut eadem, in his locis, absque interventu comitatensium officialium, plenam jurisdictionem habere et exercere possit. Talia bona possidet civitas coronensis in dominio Törtsvár, Cibinium in pago Kertz et portione Kornatzel. Historiae cupidorum gratia adscribuntur pagi ii, qui sub nomine septem judicum veniunt, suntque: Michelsberg, Reussen, Bulkesch, Seiden (media parte) Klein-Probsdorf, Grosz-Probsdorf (Nagyekemező), Kreutz, Meschendorf, Klosdorf.

§. 9. Facile erui potest, fontes juris transilvanico saxonici esse 1. Leges. 2. Consvetudines. 3. Rescripta et decreta regia, atque decisiones excelsae curiae regiae. 4. Quibus adnecti possunt etiam privilegia et 5. Statuta communitatum particularia, de quibus infra.

Titulus 5.

De legibus.

§. 1. Lex, in genere est recta agendorum aut omittendorum ratio. Lex civilis est norma actio-

num liberarum, virtute imperii civilis constituta, seu lex est publica regni constitutio, ex unanimi tam populi constituentis, quam legitimi principis confirmantis consensu facta et promulgata.

§. 2. Lex civilis ratione modi, quo fertur est scripta aut non scripta. Scripta est, quae expressa legislatoris voluntate constituitur. Lex non scripta ea est, quae non expressa legislatoris voluntate constituitur, sed longo usu et observantia introducitur, et dicitur consvetudo seu observantia. Quis vero sit legislator, patet e paragrapho praecedenti.

§. 3. Lex, ratione obligationis est generalis vel specialis. Illa omnes cives in aliquo principatu, haec quosdam tantum obligat et concernit, qualis specialis lex esse potest codex jurium nationis saxonicae in Transilvania, unde leges hae vocantur etiam leges municipales. Tales speciales leges habet hodiedum urbs Claudiopolis quoque.

§. 4. Partes legis essentiales sunt dispositio et sanctio. Dispositio, quae sententia quoque vocatur legis, continet voluntatem legislatoris expressam, secundum quam aliquid praecipitur, prohibetur, permittitur; sanctio vero continet obligationem legis, seu motiva necessitatem moralem adferentia ad agendum aliquid aut omittendum. Dispositio est potestatis legislativae, sanctio autem potestatis executivae objectum.

§. 5. Leges obligant in genere, donec per contrarias leges tollantur, seu in toto, seu in parte, cujus potestas apud illum residet, apud quem potestas legislativa. Totalis legum sublatio et cassatio audit abrogatio, particularis autem immutatio vocatur derogatio.

§. 6. Interpretatio legis est declaratio, qua statuitur, ad hunc vel illum casum legem esse extensam vel non extensam, estque triplex:

§. 7. 1. *Authentica*, quae habet vim obligandi, ac inducit necessitatem ita intelligendi legem, quamvis legis latae mentem egrediatur, et talis interpretatio, principi cum Statibus et Ordinibus principatus est reservata, juxta illud: ejus est interpretari, si quid in lege ambiguum vel obscurum fuerit, qui eam condidit. 2. *Usualis*, quae per usum et consvetudinem est introducta, qui usus et quae observatio, si requisita legitimae consvetudinis habeat, non est recedendum ab ea, donec secus diaetaliter definitum fuerit, optima enim interpres legum est consvetudo. 3. *Doctrinalis*, quae fit arte et peritia interpretum et doctorum. Haec iterum triplex est: 1. *Declarativa*, quando ratio legis cum ejusdem verbis pari passu ambulat, atque tunc tantum verba sunt explicanda. 2. *Extensiva*, quando ratio legis latius patet, quam verba, adeoque ad casum trahitur interpretatio, quem lex non expresserat, e. gr. vetita est frumenti exportatio, sub paena confiscationis; mercator farinam exportavit, quaeritur an hic puniendus? utique, ubi enim eadem est ratio, eadem quoque est dispositio legis; atqui ratio illius legis erat annonae caritas, quae adesse potest etiam exportatione farinae. 3. *Restrictiva*, quando verba latius patent, quam ratio legis, adeoque casus per interpretationem excipitur, quem verba legis comprehendere videbantur. e. gr. Lex lata est Bononiae: quicunque sangvinem in platea publica effuderit, capitis damnetur; sed barbaetonsor venam in platea aperuit hemiplexia correpto; jam hic in legem incidere

minime potest, nam ratio legis latae, erat securitas publica, quae sectione venae non turbatur.

§. 8. Nulla ex his tribus doctrinalis interpretationis speciebus inducit obligationem legis, habet tamen probabilitatem, cum in quavis facultate, standum sit judicio peritorum.

§. 9. Ad recte instruendam doctrinalem legum interpretationem plures a canonistis et civilistis traduntur regulae, quales esse possunt sequentes:—1. Ante omnia spectari debet legis materia, et praecipue finis atque causa, qua ad eam condendam legislator est inductus.—2. Ponderandus est totius legis textus, incivile enim esset, lege tota non perspecta, una aliqua ejus particula proposita judicare vel respondere. l. 24. ff d. L. L.—3. In interpretatione legis non est recedendum a proprietate verborum, nisi id svadeat aut praxis, aut quia alias lex foret inutilis, aut quia ex verbis proprie acceptis sequeretur iniquitas vel absurdum.—4. Omnis lex etiam poenalis et odiosa ita interpretanda est, ut non evadat inutilis et otiosa.—5. In odiosis facienda est mitior interpretatio, proinde restringenda; in favorabilibus amplianda etiam ad sensum verborum, quem ex sola fictione juris habent, juxta regulam illam: odia restringi et favores ampliari convenit. Plures tales regulae latent in commentariis juridicis, quae etiam consuli queunt.

§. 10. De legibus in collisionem incidentibus tenendum est: 1. Legem generalem, lex posterior generalis, si sit contraria tollit. 2. Lex posterior specialis, priorem generalem non tollit, si sub eadem lege complectatur, neque 3-o Lex generalis posterior tollit priorem specialem, si legis specialis mentio in lege posteriori generali non habeatur.

§. 11. Non solum doctrinalis, sed etiam reliquae interpretationes possunt esse declarativae, restrictivae, extensivae.

Titulus 6.

De consvetudine.

§. 1. Pauca in codice juris saxonum municipalis de consvetudine habentur. Libri 1. t. 1. §-us 5 jubet judicem in causis, quae scriptas leges non habent, id sequi, quod moribus et consvetudine introductum est, longa enim consvetudo, quae utilitates publicas non impendit pro lege servari debet, unde apparet, unicum consvetudinis requisitum jure saxonico esse; ne utilitates publicas impediat, simulque sit longa.

§. 2. Consvetudo est duplex; facti et juris. Consvetudo facti: est repetitio actuum sine obligatione, ut consvetudo orandi ante mensam. Consvetudo juris: est jus quoddam, moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. Verbóczius prol. t. 10. § 1. Clariorem dare definitionem consvetudinis non intermisit, scilicet, quod consvetudo sit jus quoddam, moribus illius introductum, qui auctoritate publica legem condere potest, quisnam autem possit legem condere, vide supra t. 5. § 1.

§. 3. Ut consvetudo valeat, tria requiruntur: 1-o Ut sit rationabilis. 2-o Ut sit praescripta. 3-o Frequentia actuum. Rationabilis est consvetudo, quando tam ad canonici, quam divini atque civilis juris fines tendit, finis vero juris civilis est bonum publicum. Praescripta est consvetudo, dum habet tempus debitum, et per cursum temporis illius ad praescriptionem requisiti,

firmatur. Erui hoc potest e citato statutali §-o 5. l. I. t. 1. ubi consvetudini longum tempus attribui certum est. Actus porro frequens, ad consvetudinem introducendam de se non est necessarius, sed quia per usum colligitur consensus populi, qui plerumque non potest ex uno solo actu colligi; igitur frequentia actuum est ut causa, consvetudo vero ut causatum. Debent autem actus hi, per quos consvetudo introducitur, esse publici et notorii, ita ut in notitiam populi devenire possint.

§. 4. Differt autem consvetudo a lege 1. tanquam tacitum et expressum. 2. Tanquam non scriptum et scriptum, quamvis haec non sit essentialis differentia, nam etsi consvetudo redigeretur in scripta, adhuc esset consvetudo, pariter si etiam lex non esset scripta, tamen ideo non desineret lex esse. 3. Tanquam successivum et momentaneum, quia consvetudo non inducitur in instanti, lentiori enim passu procedunt tacita, quam expressa.

§. 5. Triplicem consvetudo habet virtutem: 1-o Interpretativam, est enim consvetudo interpres optima, existente lege dubia. 2. *Derogatoriam*, quia derogat legi, quando legi est contraria. 3. Imitativam, imitatur enim legem ubi deficit lex; consvetudo haec vocatur etiam consvetudo praeter jus, quae ut dictum est, fit in casibus non decisis.

§. 6. Tollitur vero consvetudo lege lata, vel consvetudine contraria.

Titulus 7.

De privilegiis.

§. 1. Varie privilegium definitur, et quidem 1. Quod sit quasi lex privata et singularis, quae

ad unum vel ad paucos pertinet. Dicitur quasi lex; non enim privilegiatum, sed alios ne scilicet hi eundem in usu privilegii sui turbent, obligat. 2. Item lex privata aliquid speciale concedens. 3. Quod sit principis beneficium, saepe contra jus commune (seu contra legem) indultum. Est autem quod bene notari oportet, omne privilegium, principis beneficium non tamen vicissim, cum etiam dispensatio sit principis beneficium, nec tamen est privilegium. 4. Clarius privilegium est: jus singulare quo certae personae vel certo personarum et causarum generi aliquid indulgetur contra tenorem legis communis. Omnium definitionum meliorem addere se putat vir illustris Fleischacker, dum definit privilegium: per legitimam principis constitutionem, qua idem ob meritum alicujus, contra, praeter vel ultra jus commune uni vel pluribus indulget aliquid.

§. 2. Multiplex est privilegium: Est *reale* et *personale*, hoc est, quod directe et immediate datur personae in favorem illius, sive ratione ipsius personae; vocatur etiam speciale, quia solam illam personam sequitur et cum ea exstingvitur, nisi forte in eo caveatur, quod virtus privilegii etiam ad haeredes et successores privilegiati derivetur. Tale privilegium esse potest, nobilitatis hungaricae privilegium. Illud scilicet *reale*: est quod directe et immediate confertur rei a persona distinctae; ut loco, muneri vel dignitati. Sunt autem res, quibus privilegium reale adnecti solet, aliae corporeae: ut ecclesia, castrum, monasterium, fundus etc. aliae incorporeae: uti universitas, vel communitas aliqua, episcopatus et cebae, et haeres vocari debent: *personae morales.* Tale privilegium reale

est, quod sartoribus transilvaniensibus indultum est anno 1615, 6-a octobris a principe Gabriele Bethlen. Reale est privilegium kizdense ratione judicatus eorum, a Sigismundo rege Hungariae anno 1419, feria 5-a proxima ante festum beatae Helenae reginae datum et anno 1634, 23-a martii in arce Fogaras, a principe Georgio Rakoczy, subscribente cancellario quoque Stephano Kovácsoczi, cofirmatum. (Kizd seu Szász-Kezd, est oppidum privilegiatum in sede saxonicali segesvariensi). Cujus privilegii verba huc adnectere, antiquitatis studiosorum causa non dubitavi: „et si aliqua partium in dicta civitate (scilicet „Szász-Kézd) s. . sede litigantium, de judicio „ibidem facto et sententia promulgata non con„tentaretur, extunc judicio et sententia ejus„dem, juxta legem et consvetudinem saxonum „septem sedium, in sedem civitatis Segesvár vo„catae transmissionaliter remitti et destinari, ubi „vero modo simili aliqua partium litigantium de „judicio et sententiae adjudicatione praefatae ci„vitatis Segesvár nollet contentari, extunc judi„cium et sententia ejusmodi, cum serie suae ad„judicationis in eadem civitate Segesvár factae „ad adjudicationem, determinationem, discussio„nem et finalem decisionem judicum et jurato„rum septem sedium saxonicalium, partium no„strarum Transilvaniae, et in civitatem cibini„ensem transmitti, et destinari consveverunt; „transmitterenturque et destinarentur etiam de praesenti“ etc.

§. 3. Dividitur privilegium in *perpetuum* et *temporale*. Perpetuum dicitur, non quasi amitti non possit, (solet enim interdum amitti et revocari) sed quia ex se, et nisi revocetur, durat perpetuo. Temporale privilegium est, quod de

se limitato tempore finitur; quod fieri potest, ex parte concedentis, quando conceditur pro sola concedentis vita, vel ex parte privilegii ipsius, si sub aliqua conditione concedatur, quae conditio lapsu temporis finitur.

§. 4. Est porro privilegii divisio in privilegium quod est *contra jus*, et quod est *praeter jus*. Illud est, quod derogat juri communi, ut exemtio a solvendis decimis, tricesimis, a jurisdictione ordinarii etc. Et hoc est proprie privilegium, estque strictae interpretationis. Huc revocant aliqui mandata moratoria ita dicta, quibus conceditur egenis debitoribus facultas differendi solutionem ad annum, biennium, vel etiam ultra. Hoc autem scilicet privilegium praeter jus, dicitur, quod concedit peculiares favores, in jure non expressos. Tale privilegium fuisse videtur, quod civibus visegradiensibus a Mathia Corvino indultum erat: ut nimirum nemo civium visegradiensium propter quemcunque excessum, sed nec propter debita, cuipiam juri stare teneatur; quod tamen superveniente generali regni constitutione sublatum est. Ulad Decr. 102.

§. 5. Dividitur 4-o privilegium in id, quod est *clausum in corpore juris*, et in id, quod est *datum per speciale rescriptum*. Primum est, quod in generali regni decreto, inter alias regni leges et constitutiones continetur, prout sunt omnia privilegia seu libertates totius nobilitatis hungaricae, in decretis sancti Stephani, Andreae II, aliorumque regum. Huc referri possunt illa etiam privilegia, quae saxonicae nationi intuitu metalis processus indulta sunt, quibus cavetur: ne unquam lites, quae finium terminalium seu territoriorum causa inter saxones emergunt, ultra universitatis eorum forum judiciale provocentur,

neve per homines vajvodales, vel protonotarios reambulentur et decidantur, sub poena provinciali, qui contrarium tentaverint. Stat. l. I. t. 11.

§. 6. Privilegium datum per speciale rescriptum, est quod extra corpus juris certae alicui personae, communitati vel loco, per speciales litteras indultum est.

§. 7. Differt autem privilegium clausum in corpore juris, ab eo, quod est datum per speciale rescriptum, quia illud judex ignorare non debet, vel saltem non praesummitur ignorare; idcirco si contra tale privilegium ipse privilegiato injungat comparitionem in judicio, vel quid aliud: privilegiatus non tenetur obedire vel comparere, aut de comparitione se excusare; si vero citet judex aliquem contra privilegium specialiter datum et positum extra corpus: tenetur comparere saltem pro reverentia judicis, et eum de privilegio suo edocere, quia cum sit facti, ignorari potest a judice. Privilegium hoc, quod est clausum in corpore, vocatur a j. d. privilegium articulare.

§. 8. *Requisita* privilegiorum substantialia esse sequentia: 1. Ut concessum fuerit a principe legitimo. Ante susceptum per augustam domum austriacam Transsilvaniae regimen, illi erant principes legitimi, qui a statibus et ordinibus eligebantur, et a turca concesso diplomate, athname nuncupato, confirmati exstiterunt, quae principes eligendi libertas articulo 2-o anni 1744 tanquam publicae securitati exitiosa abrogata exstitit. 2. Annus, dies et locus emanationis vere et apposite adscribantur. 3. Princeps, cancellarius regni (non provincialis) et secretarius aulae subscribant; contenta enim privilegiorum per subscriptionem censentur adprobari et con-

firmari. 4. Sigillum majus seu sigillum ipsius concedentis principis appendatur vel imprimatur. 5. Stylo legali et ab antiquo recepto expediantur. Apr. Const. p. 4. t. 13. art. 1. art. 19. anni 1791. Haec erant privilegiorum requisita, quoad externam solennitatem. Jam

§. 9. Quoad solennitatem internam requiritur. 1. Ne juri divino et naturae contrarietur. Jus enim et factum principis, semper ad canonem divinum dirigendum est. 2. Libertatibus fundamentalibus avitis regni non deroget. Tr. 2-ae t. 11. — 3. Juri quaesito tertii non praejudicet. Hinc illa salvificatoria clausula, privilegialibus litteris addi solita: salvo duntaxat jure alieno. Notandum hoc loco est, clausulam: salvo jure fisci, Apr. Const. p. 4. t. 13. art. 1-o et clausulam: de manibus regiis, sublatas esse. Math. D. 17. 23. Ulad. D. 1. 60-o. Occasio vero hujus posterioris clausulae sublationis haec fuit: quod impetratores bonorum insistebant regi, ut bona nomine suo occupari faceret; simulque procuraret, ut donationales scriberentur, quasi bona de manibus regiis collata fuissent; qualis bonorum per regem fienda occupatio et collatio consvetudini curiae regiae contraria videbatur, eoque sublata est.

§. 10. Praejudicare autem potest privilegium juribus tertii, vel *ratione temporis*, vel *ratione loci*. Utrumque exemplis apud t. 10. p. 2-ae Decr. Tr. illustratur. Unde qui rescit privilegium aliquod, juribus suis praejudicans per quempiam a principe esse impetratum, debet praesertim tempore publicationis illius solenni contradictione et protestatione interposita eidem obviare, ne secus consensisse arguatur per regulam: qui tacet consentire videtur. Si tamen in loco

publicationis quacunque de causa neglecta fuisset contradictio, poterit eadem etiam in loco authentico et credibili interponi, extractis superinde dein litteris testimonialibus. Praxis.

§. 11. Porro cum privilegium sit lex, lex autem promulgari debeat, necesse est, ut privilegium ab emanatione sui intra annum publicetur; Tr. 2-ae 12. §. 3. ut ii, quorum juribus praejudiciosum foret, contradictione legitima (ne eorum consensus in vim cessionis abeat) jura sua illaesa servare possint.

§. 12. Effectus privilegii legitimi sunt: 1. Jus tribuit privilegiato suos intra limites, favore sibi concesso utendi. 2. Actus, contra illud per tertium positus est nullus. 3. Sententia, contra illud lata est invalida.

§. 13. Cessante vero privilegio, cessant etiam effectus illius; dantur itaque varii pivilegium *amittendi modi*, quorum alii sunt generales, speciales alii. 1) Amittitur privilegium vel per *contrarium usum*, sive abusum, vel malum usum, et qui potest committi per privilegiatum tripliciter: *a*) per excessum, *b*) summendo ex privilegio delinquendi occasionem, *c*) contra finem privilegii agendo; quia meretur privilegium amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Si quis jus gladii habens, captum in territorio suo malefactorem impune dimitteret, talis abuteretur privilegio, si quis vero manifeste innocentem morti adjudicaret, male uteretur. 2) Amittitur privilegium per notam infidelitatis Trip. p. 2-ae 12. et 1-ae 9. 3) Amittitur privilegium per neglectum praescripto a lege tempore usum. 4) Desinit esse, si in praejudicium et damnum alterius enorme redundet. 5) Finitur per renunciationem privilegiati, expressam vel etiam taci-

tam; per expressam sic, quod publice renunciaverit quis privilegio suo; per tacitam autem sic, quod publice actum sit contra illud privilegium, ipso sciente et non contradicente, sed per omnia subticente. 6) Expirat privilegium per posterius derogatorium priori, dum illud ad unam eandemque personam emanaverit. 7) Tollitur per decretum generale, in quo de tollendo illo expressa est mentio. Tr. 2-ae 8. Ulad. D. 1. art. 102. D. 3. a. 39. 8) Cessat per expressam concedentis principis justis et rationalibus ex causis factam ac in ipsis litteris revocatoriis denotatis revocationem. 9) Cessat per sententiam judicis regni ordinarii, ex certa tamen scientia, pluribus in casibus, contra privilegium latam, nam haec juris defectu laborasse privilegium supponit.

§. 14. Speciales amittendi privilegii modi esse possunt. *a*) Mors concedentis principis, si ad ejus beneplacitum usque concessum fuerit. *b*) Tempus finitum, pro quo illud datum fuit. *c*) Rei, cui inhaerebat, interitus et sublata qualitas personae, quam respiciebat.

§. 15. §-pho h. t. 1-o injecta est mentio *dispensationis*; non absre erit itaque differentiam inter hanc et privilegium videre: privilegium est jus quoddam singulare, et lex privata, speciale aliquod concedens, dispensatio vero est relaxatio legis ad unum actum, vel breve tempus, e. c. hodie ducere cognatam in 4-to gradu.

§. 16. Beneficium legis a privilegio differt: *a*) Hoc solus princeps, illud lex concedit. *b*) Hoc petenti, illud et non petenti lex tribuit. *c*) Hoc pro singulis personis, illud omnibus sub eodem genere contentis emanare solet. Tale legis beneficium est, quo spurii vel vulgo quaesiti matri

succedere permittuntur, et quo ex incestuoso concubitu natis, de aequitate canonica alimenta debeantur. Stat. l. 2. t. 2. §. 4. Tale legis beneficium habent peregrini, quibus intra triduum inctus citatus respondere obligatur, eoque differentia illorum per judices absque mora determinatur.

Quorum principum privilegia serventur, et quorum non.

§. 17. Quorum regum regni Hungariae privilegia observentur, et quorum in judiciis rejiciantur, fuse satis indicat tit. 14-us p. 2-ae D. Tr. Quorum vero principum nationalium serventur privilegia, et quorum non, e sequentibus patebit, (Johannis Zápolyae donationes ex titulo notae factae, non servantur. Cassatae enim sunt in comitiis particularibus Claudiopoli 1551. Ferdinandi 1-mi ab anno 1556, dominica Oculi edita privilegia non servantur, hoc enim in anno recessere status et ordines Sabaesii a partibus Ferdinandi) non servantur Joh. Sigismundi Zápolyae ac ejus matris Isabellae privilegia, ad beneplacitum usque duratura, quia beneplacita cum morte eorum exstincta sunt 1571 novembri, nisi postmodum in formam privilegii iterum emanata fuissent — Stephani Báthori donationes sine litteris statutoriis non valent 1590.— Sigismundi Báthori siculis plebeis libertatem restituentia privilegia invalidantur 1595.— Michaëlis vajvodae omnia privilegia cassata in comitiis Léczfalvae 1600, mense octobri habitis, et in comitiis anno 1607 Enyedini habitis. Excipe illa, intuitu quorum status et ordines, milites a Michaële deficientes securos reddebant Apr. Const. p. 4 ac t. 13, art. 5-o. Moisis Székely non ser-

vantur; fuit enim tantum usurpator principatus; cassata sunt 1607. — Stephani (Botskai) Bochai in Hungaria factae donationes non valent, art. 3-o anni 1609, nobilitationes tamen in vigore relictae, pacif. Vienn. de 1606 p. 14-o Sigismundi Rákoczi donationes jure perpetuo factae a 22-a jnuarii anni 1607, usque ad 8-vum februarii, ejusdem anni, docente articulo, anni 1608 non servantur. — Bastae, commissariorum caesaris et Moisis Székely cassata 1607. N. Enyedini. Gabrielis Báthori non servantur a die 1-ma februarii, anni 1610 sub sigillo, apud cancellarium Stephanum Kendi notorium existente emanata, Apr. Const. p. 4-tae t. 11. Art. 3-o, nisi reformata fuissent. Omnia privilegia *Gabrielis Bethlen* valent, de quo principe inclyta natio saxonica memori habere debet in mente, quod literalia instrumenta, ipsi per violentiam Gabrielis Báthori subtracta, restituerit. — *Catharinae Brandeburgicae* (uxoris principis Gabr. Bethlen) privilegiales non servantur, nisi e consilio senatus principalis factae fuissent, et cancellarius subscripsisset; articulo 4-to anni 1639, *Stephani Bethlen* post resignatum principatum non servantur, docente articulo anni 1630, *Georgii Rákoczi* 2-di post resignationem principatus, quae facta 1-ma novembris 1657, non servantur, docente articulo 19-no 1659. *Acatii Barcsai* non servantur, nisi aliorum principum confirmatio accessisset, Art. 16-to 1660, art. 17-mo 1684, armales tamen excipiuntur, quae legibus regni non refragantur. *Johannis Kemény* non servantur, articulo 16-to, anno 1662 10-a martii, in comitiis in Görgény Sz. Imre institutis condito, ita sonante: „collationes principis Keményii, „eo, quod vi principatum invasisset, nec a Tur-

„ca confirmationem obtinuisset, in perpetuum „cassantur, at articuli libertatibus regnicolarum „non praejudicantes in loco relinquuntur.“ *Apafii senioris* donationes per cancellarium Joannem Bethlen, vel etiam per secretarium subscriptae valent, caeterae non. Articulo 16-to anno 1667 20-a aprilis Albae condito, universae donationes (paucissimis exceptis) Apafii, post cancellariatum Johannis Bethlen emanatae, nisi et cancellarius, vel secretarius subscripserint, cassantur.

Titulus 8.

De decisionibus excelsae curiae regiae.

§. 1- Unicum juris fontem constituunt decisiones excelsae curiae regiae. Magna utique vis decisionibus istis merito debetur, sunt enim hae, supremi justitiae tribunalis, seu supremi fori revisorii in aequitate et justitia fundatae pronunciationes, ultimum causis omnibus finem imponentes.

§. 2. Effectus illarum est *a*) quod per has, ad legum nefors difficiliorum ac obscurarum faciliorem intellectum fora inferiora deducantur. *b*) pro casibus nulla lege definitis, quampiam regulam in illis fundatam habeant, ac denique *c*) in casibus similibus, usque provisionem legis easdem instar legum observare deceat. Talis decisio aulae regiae anno 1801. 21-a septembris emanavit, quaestionem juris, num scilicet: bes, vertente tempore mariti successoribus per viduam vel etiam successores viduae, exsolvi vel exscindi debeat, determinans, quum leges nationis saxonicae nihil de hac speciali juris quaestione

statuant, de qua quaestione habebis infra lib. 2-o in titulo, de divisionibus bonorum, inter parentes et filios eorum.

Titulus 9.

De statutis locorum particularium.

§. 1. Statutum a statu, quod eundem ordinat, firmat ac stabilit, nomen accepit. Alias etiam decretum nominatur, estque, jus quoddam regni commune, vim legis habens. Unde leges regni publicae, statuta regni appellantur.

§. 2 Hoc sensu sumtum statutum, *generale* est. Particulare sive speciale statutum, est: Jus quoddam a majori communitatis cujuspiam parte modo legitimo constitutum. Communitas debet esse legis ferendae capax, et etiam statuto communitatis accedat consensus principis. Major et sanior communitatis pars illa est, in qua dignitate et scientia fuerint praestantiores.

§. 3. Ad modum legitimum statuta constituendi pertinent 1. Ut statutum in justitia honestate et rationabilitate fundetur 2. Juribus ac libertatibus aliorum nullum praejudicium inferat 3. Communitati, a qua est conditum, sit utile ac proficuum, hujus enim utilitatis promovendae causa est inductum.

§. 4. Principis consensus est vel *expressus* et *personalis*, qui est, facultas statuta condendi, initio erectae cujuspiam communitatis, principis. privililegio concessa vel *tacitus* et *legalis*, qui consvetudine, praesumtum principis consensum arguente acquiritur. Ad statuta, legi communi et curiae regiae conformia sufficit tacitus, ad ea, quae ab his recedunt. necessarius est expressus consensus principis.

§. 5. Hoc modo legitimo possunt mercatores, sartores, pellifices, sutores, cerdones et alii opifices in ipsorum collegio et inter sese statuta condere.

§. 6. Statutum hoc modo scilicet legitimo constitutum obligat solummodo inter eos, et in eorum medio valet, per quos institutum habetur.



LIBER PRIMUS.

DE JURE PERSONARUM.

Titulus 1.

De persona juris.

§. 1. Omne jus vel ad personas, vel ad res, vel ad actiones pertinet. Vultaeus, juris universi doctor Basileae, personam ab homine distingvit, dicens, quod homo sit vocabulum naturae, persona juris civilis. Omissa ista subtili distinctione, dici potest, homo est animal politicum societatis, cummunis vitae capax. Jus transsilvanico saxonicum non distingvit inter hominem et personam. Persona seu homo rationis et doli capax, est subjectum juris.

§. 2. Status, cum quò homo consideratus personam constituit, est duplex, naturalis vel civilis, qui iterum in statum libertatis, civitatis et familiae dispescitur.

§. 3. Respectu status certa jura certaeque obligationes competunt homini, quae constitunt jus personarum.

Titulus 2.

De statu hominum naturali.

§. 1. Prima distinctio status naturalis sumitur ab *humanitate.* Status humanitatis est: qualitas, secundum quam quis forma humana est natus. Vi hujus status id juris praecipue cuique tribuitur, ut vita sit salva et incolumis in civitate, nec aliter ea adimi possit, quam ex sententia judicis, secundum leges.

§. 2. Secunda distinctio status naturalis summitur a *nativitate.* Secundum hunc statum, homines alii sunt nati, alii nascituri. Ut natis effectus jurium tribui queat, requiritur, ut nati sint vivi, et nihil interest exemti e ventre matris fuerint, aut via ordinaria in lucem editi. Status iste nativitatis generatione producitur. Ratione generationis alii sunt parentes qui generant, alii sunt liberi qui generantur. Liberi sunt naturales tantum, et naturales simul et legitimi, qui ex legitimo thoro nascuntur. Illorum classes sunt sequentes: Prima classis est: naturalium in specie, hi ex foemina honesta extra matrimonium nascuntur et ex concubinatu. Secunda: adulterinorum, ex adulterio natorum, tertia, incestuosorum, ex incestu natorum, quarta, spuriorum s. vulgo quaesitorum, qui juxta Statutorum l. 2. t. 2. §. 4. patrem habere non intelliguntur, cum is incertus sit. Hi omnes sunt in genere illegitimi, adeo ut spurii s. vulgo quaesiti matris tantum conditionem sequantur, idest matri, aviae vel avo materno succedant una cum legitimis, incestuosi vero et

adulterini neque patris, neque matris conditionem sequantur, h. e. ad neutrius successionem admittantur, de aequitate tamen canonica debentur eis alimenta, quum educatio liberorum sit juris naturae. Stat. l. 2. t. 2. §. 4. l. 19. dig. de statu hominis. Notandum: classis 4-a eadem est, quae prima est, vel eadem est conditio respectu nativitatis.

§. 3. Haec de natis. De nascituris tenendum est: quod habeantur pro natis provisione juris, et hoc toties, quoties agitur de eorum favore. Qui post mortem patris nascuntur, vocantur posthumi.

§. 4. Tertia distinctio status naturalis sumitur ab *integritate*. Ratione hujus status homines sunt alii integrae mentis et integri corporis, alii vero quoad mentem sunt furiosi, mente capti, dementes; quoad corpus, surdi, muti, caeci, claudi, morbo perpetuo laborantes, quibus quae jura competant, patebit inferius.

§. 5. Quarta distinctio status est ratione *sexus*, quo in statu homines sunt mares et foeminae.

§. 6. Quinta denique status naturalis distinctio sumitur ab *aetate*, cujus respectu homines sunt perfectae et imperfectae aetatis, perfectae aetatis homines apud saxones transsilvanicos sunt 20 annorum completorum. Stat. l. 3. t. 6. §. 17. et l. 2. t. 3. §. 10., et infra hoc tempus constituti sunt aetatis imperfectae; et horum alii sunt aetatis illegitimae, alii sunt legitimae, legitimae aetatis sunt mares completo anno aetatis 14-to, foeminae anno 12-o, Stat. l. 2. t. 5. §. 1. l. 1. t. 6. §. 1. illegitimae aetatis sunt personae infra hos annos constitutae; dicuntur autem legitimae aetatis igitur, quod illa aetas habeatur pro capaci

cum alio ad instituendas lites et agendas, ad perhibendum testimonium, ad testamentum condendum etc. Tempus hoc legitimae aetatis vocatur etiam tempus discretionis, quia persona hunc aetatis annum attingendo judicium de rebus ferre posse censetur.

Ratione porro aetatis dividuntur homines in puberes et in impuberes, hi sunt personae aetatis illegitimae, illi sunt aetatis legitimae. Stat. l. 1. t. 6. §. 1. Impuberes alii sunt infantes, infantiae proximi, alii denique pubertati proximi. Infantes sunt omnes usque ad septimum annum, infantiae proximi sunt, qui nondum excesserunt dimidium inter septimum et decimum quartum aetatis annum intercedentis temporis, reliqui jam erunt pubertati proximi.

§. 7. Quia status libertatis et civitatis pertinent ad jus publicum ideo missis his, erit

Titulus 2.

De statu familiae in genere.

§. 1. Tertia species status civilis est status familiae. Status hic est juris naturalis etiam, quia tamen multa jure civili circa hunc definita sunt, ideo etiam statum civilem constituit. Familia significat: complexum talium personarum, quae per legitimam generationem a communi stipite descendunt, et est ipsa genealogia. Significat etiam complexum talium personarum, quae sub potestate unius patrisfamilias consistunt, quo sensu accepta familia pertinet ad tertiam status civilis speciem, estque status familiae: complexus determinationum, quae alicui ceu membro familiae competunt.

§. 2. Status hic familiae latissime patet, refertur enim a juris doctoribus huc: status conjugalis, status liberorum vivis parentibus, aut alterutro eorum mortuo, consequenter etiam status tutelae, status dominorum et servorum.

Titulus 4.

De nuptiis seu matrimoniis.

§. 1. In statu familiae primum obtinet locum status conjugalis, status hic, matrimonio seu nuptiis iisque justis adquiritur, quas nuptias semper sponsalia solent praecedere, de sponsalibus itaque pauca huc referenda.

§. 2. Pauca utique in legibus saxonum statutalibus de sponsalibus habentur, adeo, ut nihil aliud invenias, nisi requisitum sponsaliorum, quod est consensus contrahentium, et eorum, quorum in potestate contrahentes existunt. L. 2. t. 1. §. 3. sunt autem sponsalia: conventio maris et foeminae, de matrimonio invicem contrahendo.

§. 3. Anno 1786 6-ta martii publicari fecit piae memoriae princeps Jos. II. rescriptum, benignam mentem et voluntatem in decidendis casibus objectorum matrimonialium continens. Rescriptum hoc, decreto regio 1799 3-a maji Viennae emanato, in quantum circa matrimonialia objecta jura statualia non sufficerent, pro stricta observantia, ratione augustanae confessioni addictorum, foris judiciariis exhibitum ac injunctum est. Unde pauca huc transferre juvabit matrimoniorum ratione.

§. 4. Matrimonium sive nuptiae, est viri et mulieris conjunctio, individuam vitae consvetudinem continens, l. 2. t. 1. §. 1. seu rectius: est societas maris et foeminae liberorum procreandorum, educandorum et individuae vitae consvetudinis causa, secundum formam lege praescriptam contracta. Omne matrimonium contractu initur, qui mutuum consensum requirit, et consensus is est matrimonialis, continens voluntatem mutuam maris et foeminae de matrimonio actu ineundo, hinc quid quid consensum vitiat, id nullum reddit etiam contractum matrimonii, et quid quid consensum impedit, id etiam valorem matrimonii infringit. Quamobrem illi, qui rationis compotes non sunt, matrimonium valide contrahere nequeunt, nisi lucida habuerint intervalla; surdi tamen et muti consensum per signa manifestantes ab ineundo matrimonio arcendi non sunt. Rescriptum §. 24.

§. 5. Consensus in matrimonium clare et perspicue exprimendus ac per ipsas partes dandus est. Concludi valet matrimonium etiam medio plenipotentiarii, si plenipotentia ad matrimonium determinatae alicujus personae directa sit, et si matrimonium illud eodem tempore dum plenipotentiarius matrimonium conclusit, revocatum non fuerit. Rescr. §. 23.

§. 6. Obstat etiam valori matrimonii, si consensus metu et vi extortus esset, et metus fine extorquendi consensus incussus actualis fuisset, ut persona metum incussum allegans eidem resistere non potuerit.

§. 7. Consensus hic exprimi debet praesente parocho aut pastore, in cujus parochia vel districtu sponsi resident, praesentibus item duobus testibus. Ubi vero sponsus et sponsa sub

diversas parochias pertinent, sufficit si consensus in matrimonium coram parocho vel pastore seu sponsi seu sponsae declaretur.

§. 8. Cuivis integrum est contractum matrimonii inire, nisi incapax fuerit. Incapaces autem sunt: 1) Minorennes masculi haud puberes, foeminae haud viri potentes. Masculi itaque puberes et foeminae viri potentes justas inter se contrahere possunt nuptias cum consensu tamen parentum, aut eorum, quorum in potestate sunt. Eorum, qui in potestate patris sunt, sine voluntate ejus matrimonia jure non contrahuntur, sed semel contracta non solvuntur l. 2. t. 1. §. 2. et hoc ideo, quia contemplatio publicae utilitatis privatorum commodis praefertur. Si tamen pater vel avus consensum suum deneget, judex sacularis adeundus est; quo autem modo hoc fiat, videantur §phi 4, 5, 6 et 7. rescripti citati.

§. 9. 2-do, Mortuo patre vel avo paterno, proles minorennes absque consensu eorum, sub quorum cura constituuntur, matrimonium inire nequeunt. In hoc tamen casu solus tutoris consensus non sufficit, verum judicii annutus implorandus. Si tamen nec ipse tutor consensum praebere, nec judicium concernens eatenus adire vellet, minorennis uti etiam pars altera semet ad judicium convertat.

§. 10. Non potest 3-o matrimonium contrahere subditus suae Majestatis, religioni christianae addictus cum alia, religioni huic non addicta; quod si contraheret, erit invalidum et nullum.

§. 11. Non potest 4-to, vir cum muliere, vel mulier cum viro, durante priore matrimonio, secundum inire matrimonium, hocque si initum sit, pro nullo habetur.

§. 12. 5-to, Inter eas personas, quae parentum liberorumque locum inter se obtinent, contrahi nuptiae non possunt: veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, vel matrem et filium vel aviam et nepotem, et usque in infitum. Et si tales personae inter se coierint, incestas nuptias contraxisse dicuntur, quarum poena est exilium. L. 2. t. 1. §. 4. Inst. Just. l. 1. t. 10. §. 1. Prohibitio haec sangvine junctorum est in linea descendenti et ascendenti, in linea vero collaterali, de jure statutali antiquiori, propter majorem sangvinis reverentiam ad quartum usque gradum inclusive nuptiae non admittebantur, nisi copula carnalis intercesserit, tunc enim, mulcta competente a judice irrogata, tolerabantur. Ast lex haecce per articulum 59 anni 1791, tanquam posteriorem legem qualificata exstitit, ita ut, neċ in tertio et quarto gradu inaequali necessaria sit impetratio dispensationis.

De affinitate.

§. 13. Affinitas quoque 6-to personas sibi invicem proxima affinitate junctas ad ineundum matrimonium incapaces reddit, adeoque affinitas praestat impedimentum matrimonii; est autem affinitas: relatio per coitum, inter coëuntium unum et cognatos alterius contracta, ratio itaque affinitatis consistit in coitu, et in ficta carnis et personarum unitate. Omnes ergo cognati viri, sunt affines uxoris, et omnes cognati uxoris sunt affines mariti.

§ 14. Affinitatis nulli sunt gradus, quia nullae sunt generationes; interim, quia affinitas fictae personarum unitati innititur, transferuntur

ad eandem per analogiam. Itaque quoto gradu quis uni ex conjugibus per consangvinitatem, eodem et alteri conjugi per affinitatem conjunctus est, et quoto gradu matrimonium ob consangvinitatem, eodem gradu ob affinitatem interdictum esse censetur.

§. 15. Ut cognatio personarum determinetur, gradus cognationis computari solent. Est autem computatio graduum duplex: civilis et canonica, illa lege civili romana, haec jure canonica constituta est. Auctor hujus computationis est hispanus Damiate a Honesti, qui cum pontifici Alexandro II. obtulisset, hic eam approbatam in corpus juris canonici intulit seculo XI, anno 1065. In computatione civili, gradus numerantur secundum generationes, et tot sunt gradus, quot sunt personae dempto stipite, seu quot sunt generationes. In computatione canonica numerantur gradus secundum distantiam a communi stipite. In causis matrimonialibus obtinet computatio canonica, tamen et civilis et canonica computatio in determinandis gradibus cognationis in linea recta conveniut, et utrumque jus tot gradus numerat in linea recta, quot sunt generationes. In linea obliqua, jus civile, ut dictum est, computat gradus secundum generationes, et quot sunt generationes in linea utraque obliqua, tot sunt gradus etiam; jus vero canonicum aliam init computationem in linea obliqua, et quidem si linea obliqua sit aequalis, quae distantia est unius cognatorum a communi stipite, tot gradibus distabunt cognati a se invicem; si vero *linea* obliqua fuerit inaequalis, tunc quot gradibus remotior vel proximior distat a communi stipite, tot utrinque nominatis et numeratis gradibus uterque inter se conjunctus est. In

declaratione ergo graduum in linea obliqua inaequali utriusque personae distantia a communi stipite indicetur etc.

§. 16. Porro ad consummandum matrimonium requiritur proclamatio personarum desponsatarum in ecclesia parochiali die quopiam dominico aut festo, tempore concionis, aut dum secus populus sufficienter congregatus est. Qua occasione sponsi ac sponsae nomen, cognomen, locus natalis et status seu conditio clare denotari, haecque promulgatio duabus adhuc dominicis vel festis diebus repeti debet, ut quilibet cognitum fors sibi matrimonium tale dirimens impedimentum debite detegendi tempus habeat. De hoc juris puncto uberior hauriatur cognitio e citato rescripto, Josephiano pro lege introducto, §phis 31, 32 et sequentibus.

§. 17. Matrimonium recte contractum peculiares effectus producit, qui partim conjuges partim liberos respiciunt. Effectus matrimonii legitimi, intuitu conjugum, partim sunt utrique communes, partim singulis proprii. Communes sunt: 1) Obligatio ad debitum conjugale praestandum. 2) Obligatio ad abstinendum ab omni coitu cum extraneis. 3) Obligatio ad individuam vitae consvetudinem, vi cujus uxor maritum sequi tenetur. Officia haec per essentiam matrimonii determinantur et constituunt fidem conjugalem.

§. 18. Jura mariti propria sunt: potestas maritalis, quae ad sequentia capita reducitur, nempe: jus exigendi ab uxore in rebus honestis obsequium et reverentiam, jus exigendi operas obsequiales, jus exigendi, ut uxor mariti domicilium sequatur.

§. 19. Jura vero uxoris propria sunt: participatio dignitatis et fori mariti, jus alimenta et defensionem exigendi a marito.

§. 20. Justarum nuptiarum effectus ratione liberorum sunt: 1) Jura legitimorum natalium, quae sunt ea, quae legitime natis competunt in familia ac in republica. 2. Alter effectus legitimi matrimonii est: legitimatio liberorum naturalium tantum, per subsequens matrimonium inter parentes valide celebratum. lib. 2. t. 2. §. 2. 3.

§. 21. Contractus matrimonii modo legali ineundus, indissolubilis erit, et vinculum hocce, donec ambo conjuges vivunt, nullo sub praetextu dirimi valebit. Si tamen contingeret, ut alterutra pars, maxime essentialem matrimonii obligationem, copulam videlicet carnalem ob naturalem imbecillitatem explere nequiret, et hoc ab initio matrimonii usque ad duos continuos annos computando, tunc parti per id laesae jus in salvo erit ad declarandam matrimonii nullitatem agendi, seu stylo statutali, potest mulier sine periculo trientis amittendi repudium marito mittere, si vir imbecillis exstiterit, praecedente tamen censura ecclesiastica, l. 2. t. 1. §. 9. notandum: hoc in loco memoratus triens refertur in sano legis sensu nonnisi ad bona, sub tempore matrimonii propria conjugum industria adquisita.

§. 22. Matrimonium porro recte contractum solvitur etiam *divortio*, quod est: dissolutio matrimonii validi vivis conjugibus facta, auctore judice. Dictatur 1-o in casu, quo unus conjugum alterius vitae insidiatus fuisset; 2-do aut adulterium commisisset. 3) Si conjuux malitiose derelictus fuisset, quo in casu, desertor sine causa peremtorie citabitur eo, ubi domicilium habuit, et si non comparuerit, persona deserta

innocens libera, desertor vero tanquam mortua pronunciabitur, l. 2. t. 1. §. 8. 4-to Solvitur vinculum matrimonii in eo quoque casu, ubi inter conjuges capitale odium, aut insuperabilis aversio enata fuisset, ac utraque pars divortium postularet. In hujusmodi tamen casibus judex petitum divortium nunquam illico concedet, verum praevie ad tempus aliquod, separationem a mensa et thoro ordinabit, hancque pro ratione circumstantiarum etiam repetet.

§. 23. Quo modo cum desertore malitioso agatur, visum est; quodsi vero conjugum aliquis ex quacunque alia praeter malitiosam hanc desertionem causa absens fuerit, tunc, donec certum est superesse conjugem absentem, ad alias nuptias alteri migrare non licet. Si vero incertum sit, septennium tam maritus quam uxor exspeetet, et postea impune alias contrahere poterit nuptias? l. 2. t. 1. § 11.

§. 24. Porro: nihil tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse. Si quis igitur vir sine culpa uxorem, h. e. uxorem inculpatam, aut uxor maritum sine culpa rejecerit, compellitur ei, scilicet rejectae quartam partem propriae substantiae, pro rata portione persolvere, l. 2. t. 1. §. 7.

§. 25. De modo pertractationis substantiae conjugum divortiatorum nihil legibus saxonum municipalibus statuitur, quidquid enim leges statutales ratione divisionis bonorum statuminant, id omne disertis verbis ad casus mortis alterutrius conjugis refertur; communio vero bonorum inter saxones recepta, principium regulandae divisionis inter personas divortiatas eo minus constituere potest, cum illa, scilicet communio bonorum juxta expressa legis stat. l. 2. t. 4. §. 1.

verba communioni corporum irradicatur, consequenter cessante inter conjuges viventes communione corporum, sua natura bonorum etiam communio cessare debet, quod vel ipsa lex stat. l. 2. t. 1. §. 7. confirmat. Exstat decretum guberniale anno 1802. 2. octob. nro 3005. emanatum, a principe vero anno 1807 24 apr. confirmatum, quo de modo pertractationis substantiae conjugum divortiatorum statuitur, quod decretum sequentis tenoris est:

E diversis, in via appellationis ad revisionem regii hujus Gubernii deductis processibus, inter divortiatas personas vertentibus, non minus ac privatorum querelis, in via instantiae prolatis observatum est, apud nonnulla nationis saxonicae publica, eum ratione pertractationis substantiae conjugum divortiatorum vigore usum, ut haec communi divisioni in ductu Stat l. 2. t. 4. subjiciatur, et marito bessis, uxori vero triens bonorum antea communium assignetur.

Usum hunc in legibus nationis saxonicae municipalibus minus fundari, praeterea vero tam aequitatis et sanae legislationis principiis, quam juri communi, ad quod in casibus lege non expressis, judici secundum Stat. libr. 1. t. 1. §. 7. recurrendum est, e diametro adversari in patulo est.

Legibus enim municipalibus de modo pertractationis substantiae conjugum divortiatorum nihil statuitur, et quidquid hae leges ratione divisionis bonorum statuminant, id omne disertis verbis ad casus mortis alterutrius conjugis refertur, communio autem bonorum, inter saxones recepta principium regulandae divisionis inter personas divortiatas eo minus constituere posse comperitur, cum illa, juxta expressa legis verba

communioni corporum irradicatur, consequenter cessante inter conjuges viventes communione corporum, sua natura bonorum etiam communio cessare debeat, quod vel ipsa lex stat. l. 2. t. 1. §. 7. confirmat, quippe, quae in casum, si vir sine culpa uxorem, vel uxor sine culpa maritum rejecerit, rejicientem ad persolvendam rejecto quartam partem propriae substantiae compellendum esse statuit. Nec obstat in contrarium lex Stat. l. 2. t. 1. §. 9. comprehensa, siquidem triens ibidem memorata, in sano legis sensu, nonnisi ad bona sub tempore matrimonii propria conjugum industria acquisita referri possit ac debeat. Secundum jus commune et praxim generalem non solum generaliter verum iis etiam locis ubi per statuta particularia communio bonorum inter conjuges recepta est, uxor divortiata allaturas suas (paraphernalia) interveniente divortio, restituta accipit et secum fert e domo mariti, salvis tamen fororum matrimonialium sententiis, quoad poenalitates et intertentiones uxorum et liberorum fors latis.

Ipsa denique aequitatis et sanae legislationis ratio exigit, ut conjux innocens, et absque omni sua culpa divortiata, in bonis suis, occasione initi matrimonii in communionem collatis, vel sub tempore matrimonii jure haereditario in se devolutis, haud damnificetur, idque eo magis, cum alioquin verendum omnino foret, ne interdum alterutri conjugum, lucri cupidine arrepto, et bonis innocentis, majoribus tamen facultatibus pollentis conjugis inhianti, cum morum corruptione et publico scandalo ad rumpendum matrimonium, et quaestum e divortio quaerendum ansa suppeditetur.

Praeviis, summa reflexione dignis e considerationibus usum illum, apud nonnulla publica saxonicalia vigentem, qui potius pro abusu et aberratione a genuino legum spiritu, quam pro legali usu habendus est, simpliciter tollendum, et negotium pertractationis substantiae conjugum divortiatorum ad saniora, et per plures jam fororum superiorum sententias stabilita principia, eo modo generaliter reducendum esse invenit regium Gubernium, ut occasione divortiorum unicuique conjugum propria sua substantia extradetur, bona vero, propria conjugum industria sub tempore matrimonii fors acquisita ad dictamina legum municipalium communi divisioni subjiciantur, et bessis ex iisdem marito, triens vero uxori assignetur, salva legis Stat. l. 2. t. 1. §. 7. dispositione et sententiis fororum matrimonialium circa uxoris et liberorum intertentiones, in casibus specialibus ferendis.

Inclytae proinde universitati hisce committitur, ut fine abrogandi memorati abusus, et procurandae uniformitatis in proxime celebranda sua congregatione super praemissis commune conclusum formet, jurisdictionibus saxonicalibus deinceps pro generali cynosura deserviturum, una vero, dictas jurisdictiones eo inviet, ut occasione definiendarum causarum matrimonialium, et decernendorum divortiorum ad Stat. l. 2. t. 1. §. 7. probe reflectant, et in ferendis sententiis diserte exprimant, an et in quantum pars nocua ad persolvendum innocenti propriae substantiae partem compellenda sit, et qualiter intertentioni prolium prospici debeat. etc. Claudiopoli die 2-a octobris 1802. etc. etc.

Titulus 5.

De statu viduitatis.

§. 1. Consideratis conjugibus in statu conjugali, justus exigit ordo, ut de eorum juribus etiam post solutum matrimonium aliquid huc adferatur. Sciendum est itaque conjugem suo conjuge orbatum vocari viduum vel viduam.

§. 2. Pauca e juribus saxonum statutalibus erui possunt jura, viduo vel viduae competentia. Jura, si quae esse possunt, sunt sequentia: 1) Jus gerendi nomen mariti ac participationis dignitatis et fori mariti, donec honeste, h. e. sine perversis moribus vivat. Hinc si maritus alicujus vel vi officii seu muneris vel vi privilegii immunis ab oneribus civicis exstiterit, e. g. a quartiriis militaribus, uxor quoque relicta immunis esse debet. 2) Donatio praerogativa, h. e. alterutri parentum divisionem celebranti, ex bonis mobilibus pro facultatum modo, jus praecipiendi permittitur, lib. 2. t. 4. §. 3. 6. p. centum, de praxi in nonnullis locis. Quod si vero legatum intercesserit, cessat donatio haec praecipua, nisi viduus vel vidua legato cedere et praecipuam eligere malit. Ibid. 3. Viduo bes, viduae vero triens ex universis bonis competit. l. 2. t. 4. §. 1.

§. 3. Notandum est maxime: praecipuum viduarum nobilium hungarorum jus consistere in *dote*, quae est: merces foeminarum legitime conjugatarum, ob debitum matrimonii seu in

praemium obstrictae pudicitiae, et fidei conjugalis, de bonis maritalibus dari consveta. Dos haec intuitu viduarum saxonicarum cessat, l. 2. t. 4. §. 1. Si quaeras quare? responderi posse puto: debitum illud matrimonii, cum sit mutuum, nullam post se trahere debere mercedem, interpretati sunt saxones.

Titulus 6.

De potestate patria.

§. 1. Considerato conjugum statu, primo status familiae statu, sequitur status liberorum, qui secundum tenent locum in domo, seu in statu familiae. Liberi aut subsunt potestati patriae vel tutelae, curatelae, aut jam emancipati sunt, et egressi e tutela curatelave.

§. 2. Potestas patria: est complexus jurium, quae parenti qua tali competunt in liberos, eosque solos legitimos, potestas ergo patria exercetur in suos liberos legitimos, qui omnes, seu legitimae seu illegitimae aetatis fuerint, nondum emancipati, in potestate patria consistunt; qui vero sint liberi legitimi, vide tit. 2. libri hujus §. 5.

§. 3. Acquiritur vero potestas patria 1) Justis nuptiis, seu matrimonio legitimo, h. e. quod secundum legum praecepta initur. 2) Legitimatione. 3) Adoptatione. De justis nuptiis actum est.

§. 4. Legitimatio liberorum, est is actus, quo liberi illegitimi redduntur legitimi, seu adipiscuntur jura legitimorum natalium, quae in familia ac in republica consistere supradictum est. Actus hic originem debet Romanis, seculo de-

mum quarto post Christum inventus est modus legitimandi, isque per subsequens matrimonium, qui modus mox a pontificibus quoque agnitus est. Deinde Justinianus imperator aliam legitimationem constituit, quae fiebat per rescriptum principis. Denique pontifex ipse quoque legitimare coepit ex damnato coitu procreatos, quae legitimatio dicebatur per rescriptum pontificis.

§. 5. Tres ergo sunt species legitimationis. Ad modum legitimandi per subsequens matrimonium, cujus mentio est lib. 2. t. 2. §. 2. requiritur: 1) ut legitimandi liberi sint naturales tantum, seu sint nati extra matrimonium, nempe ex foemina honesta, spurii enim patrem certum ostendere non possunt. 2. Sint nati ex talibus, inter quos matrimonium tempore conceptionis subsistere potuisset. 3) Ut matrimonium subsequatur, et secundum leges contrahatur. Legitimatio talis est perfecta ac plena, ita ut liberis jura familiae attribuat.

§. 6. Quodsi legitimatio per subsequens matrimonium locum non habeat, legitimabit hodierno quoque tempore summus terrae princeps, quae legitimatio dicitur fieri per rescriptum principis. Legitimatio haec esse potest perfecta, sed ordinario jure est imperfecta; perfecte legitimat princeps in eo casu, ubi desunt successores legitimi, adeoque bona fiscum civitatis vel oppidi respicerent. Itaque hoc in casu legitimatio et civitatis et familiae jura tribuit, secus non; est enim legitimatio privilegium, quod salvo jure tertii dari a principe debet, existentibus ergo successoribus legitimis, princeps solam maculam et ignominiam nativitatis tollit, ac sola civitatis jura tribuit. Qualia privilegia a sa-

cratissima sua majestate, principe nostro clementissimo Francisco II-o data, egomet ipse non una vice vidi.

§. 7. Legitimationis per rescriptum pontificis est: quod solum jus tribuat relate ad ordinem sacrum, ut nempe taliter legitimatus ordinibus sacris initiari possit.

§. 8. De adoptione nihil juribus saxonum statutalibus constitutum esse percepi. Sufficiat modo scire: adoptione quoque adquiri potestatem patriam, h. e. adoptatos ingredi in potestatem patriam adoptantis, Inst. Just. l. 1. t. 11. offerre equidem se in hac materia possent sequentes juris quaestiones: quando habere possit locum adoptio? et quo modo? Sed quoniam altum de hac juridica materia silentium est in legibus statutalibus, me quoque subsistere debere puto, quia: quid quid legibus statutalibus specialiter expressum non est, id veterum legum regulis, imperatorio jure comprehensis relictum esse scimus l. 1. t. 1. §. 7. Adire itaque legum cupido licebit citatum Inst. Just. titulum et constitutionem inclytae univ. sax. de anno 1812. sub nro 507.

§. 9. Potestas haec patria durat usque ad emancipationem liberorum; est vero emancipatio is actus, quo liberi, de manu sive potestate patris dimittuntur. Emancipantur autem e potestate patria naturali praeter mortem parentum naturalem, quod per se intelligi potest, dum aetatem perfectam seu stylo statutali aetatem majorem attingunt, atque quoad mensam et habitationem separatam agunt vitam, argumento legis l. 2. t. 3. §. 10, et l. 3. t. 6. § 17. contentae; filiae vero emancipantur ex hac potestate patria naturali per emaritationem, argumento §phi 10.

t. 3. l. 2. Cessabit porro potestas patria naturalis in casibus, in quibus exercitium hujus cum statu publico seu cum statu honorum sive officiorum conciliari non poterit, jus tamen modice corripiendi, svadendi salvum manet parentibus.

§. 10. Potestas patria civilis cessabit divisione bonorum inter parentes et filios instituta. Denique potestas patrio-tutoria cessat, si liberi perfectam seu majorem aetatem attigerint, et si filiae nuptui locatae fuerint, argumento legis l. 2. t. 3. §pho 10 contentae.

Titulus 7.

De tutela.

§. 1. Tutela est: vis et potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui per aetatem se defendere nequit, jure civili data et permissa. Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent, exque ipsa re nomen acceperunt. Itaque appellantur tuitores, quasi tutores atque defensores, sicut aeditui dicuntur, qui aedes tuentur, estque tutela triplex: testamentaria, legitima, vel dativa. Testamentaria est, quam pater ordinat, l. 2. t. 3. §. 3. rectius est, cum pater liberis impuberibus, sive natis sive posthumis, in potestate sua constitutis testamento tutorem dat. Legitima est, quae a nemine datur, sed a lege secundum agnationis successionem defertur. Dativa vero dicitur: quam ex officio judex dat, si testamentarii et legitimi tutores deficiant, vel si consangvinei existant quidem, sed judicentur non idonei. Ibidem.

§. 2. Fundamentum hujus partitionis consistit in ipso jure naturae, ut aut pater ipse per voluntatem ultimam tutorem denominet liberis pupillis, quem morem Paulus apostolus ad ecclesiam Galatiae cap. 4. 2. laudavit, et Plato l. II. de legibus approbavit, aut hac ratione cessante, lege publica certis ex familia personis haec sollicitudo commissa sit; aut denique et iis fortasse deficientibus, alii ex civibus a judiciaria potestate dentur pupillis, qui eos tueantur. Reiszner. Comment. ad h. tit.

§. 3. Quamdiu testamentaria tutela speratur, legitima cessat, nec redit ad legitimam, nisi testamento datus decesserit, l. 2. t. 3. §. 4. Vel si tutores testamento delegati honesti et fide digni (h. e. ut tutores testamento dari possint) non fuerint, tunc quoque redibit ad legitimam. Ibidem §. 2.

§. 4. Quodsi pupillis a parentibus nullus datus sit tutor in testamento, tunc ad proximiores agnatos defertur tutela, ad eos videlicet, qui in haereditate post mortem pupillorum successuri erant, atque tales tutores decreto senatus vel ordinariorum divisorum constituuntur, absque aliqua spe mercedis et lucri; et haec est tutela, quae dicitur legitima in partitione tutelae. Si vero proximiores tutelam negaverint sine causa sufficienti, tunc spe futurae haereditatis pupillorum privabuntur, nam qui sentire vult lucrum, sentiat et onus opportet. Si vero per senatum alii peregrini tutores ordinati fuerint (haec est tutela dativa) iis merces constituitur, pro ratione bonorum pupillarium, ibidem §. 5.

§. 5. Quaestio curiosa se heic offert, num scilicet §phus 5. l. 2-i t. 3-ii et etiam §. 2. in quibus habetur mentio parentum, pupillis suis

tutorem designantium, ad matres etiam pupillorum se extendat. Consequenterque num matres possint tutores pupillis suis dare? casus enim se exerere potest, in quo mater tutores denominare posset, v. g. pater decessit absque designatione tutoris, mater erit pupillorum naturalis tutor, tempore vertente mater quoque decedit, etc. Responsio ad hanc juris quaestionem Reiszneri commentatoris adferatur in verbis: „Quod dicitur „§. 2. de parentibus generatim, scilicet tutelam „ab iis in testamento constitutam validam esse, „non ita crude de omnibus absque differentia se„xus intelligendum, sed de parentibus habili„bus, hoc est, qui liberos habent in potestate. Pa„rentum vox non indifferenter accipitur ratione „sexus, sed gradus; ut omnes inquam intelli„gantur, qui patriam potestatem habent. Quid „multa? ipse compillator juris patrii (statutali„um) in §pho 3. se explicat in verbis: *quam pa„ter ordinat etc.* quanquam jure romano, testa„mento a matre datus tutor admittatur, modo „a magistratu confirmetur l. 2. l. 5. ff. de con„firmatione tutoris, quod etiam in foro patrio „obtinere non abnuerim.“

§. 6. §pho statutali 1-o l. 2. t. 3. habetur: quod maritus, decedente uxore, ab hac relictorum liberorum sit tutor. Vox tutoris (ut opinatur aeque Reiszner) intelligitur abusive hocce in §pho, statutali, pater namque liberos impuberes habet in potestate patria; ergo proprie non in tutela, qui enim in potestate patria sunt, non possunt esse in tutela. Dicitur in hoc eodem §pho pater bonorum quoque tutor, his verbis significari puto, qua mente vox tutoris accepta sit, scilicet non tam ratione personae, quam bonorum.

Sectio I.

Qui testamento tutores dari possint.

§. 7. Qui possint tutores testamento dari, indigitat sufficienter §. 2. t. 3. l. 2. ubi habetur: quodsi parentes defuncti, filiis suis impuberibus testamento suo tutores, viros honestos et fidedignos delegaverint, eorum tutela rata permanebit. Jam si positio unius est exclusio alterius, sequitur, illos, qui tales esse non possunt, tutores testamento dari non posse, et si darentur, tutela eorum rata non permanebit. Qui vero sint fidedigni, sive tales, ut dari possint testamento tutores, patebit e sequenti statim paragrapho.

§. 8. Generatim quoad omnes tutelae species loquendo, in constitutione tutoris haec quatuor praecipua observari debent: 1) Ut tutor prudentia rei gerendae sit instructus, argumento legis §pho 8. t. 3. l. 2. contentae, quae idoneum agnoscit pro tutore, idoneus vero is potest esse, qui prudentia rei gerendae est instructus. 2) Nulla suspicione laboret, suspectus enim a tutela removendus, §. 15. t. 3. l. 2. 3) Ad publicum munus possit admitti; hinc prodigi, damnati criminis laesae majestatis, quia ad munus publicum admitti non possunt, nec ad tutelam admittuntur. 4. Utilitatis publicae causa non impediatur, quominus tutelae munus gerere possit.

§. 9. His itaque requisitis praeditae personae non arcentur a tutela. Ex adverso vero arcentur dementes, furiosi, vitio corporis labo-

rantes, hi enim non sunt idonei. Minores 25 annorum §. 10. t. 3. l. 2. Mulieres, nisi legitimae pupillorum matres fuerint, quae si ad secunda vota transierint, et maritus illarum, qui est vitricus liberorum, vir honestus ac tutelae idoneus fuerit, nec ita a tutela submoveri possunt. Ibidem. Prodigi, lege enim duodecim tabularum prodigo interdicitur bonorum suorum administratio, quod et moribus apud saxones ab initio introductum esse lex ait statutalis, ibidem. Pauperes, inimici parentum, milites demum; non enim sunt idonei.

Sectio 2.

De auctoritate et officio tutorum.

§. 10. Cujusvis speciei tutorum officium est, non tantum personam pupilli probe educandam et instruendam curare, ejusque res et negotia diligenter, et ut bonum patremfamilias decet administrare, sed et negotiis, quae pupillus, qui infantiam egressus est, cum aliquo periculo rei familiaris gerit, auctoritatem interponere, l. 2. t. 3. §. 7. 14. Est autem auctoritas: negotii a pupillo cum extraneo gerendi, expressa adprobatio, statim in ipso negotio faciendo, eandem enim a tutore diligentiam circa rerum pupillarium administrationem exigunt leges, quam paterfamilias rebus suis ex bona fide praebere debet. Ibid. §. 7. Dictum est notanter: *cum extraneo,* quia tutor in rem suam auctor fieri non potest. Ibid. §. 13.

§. 11. Officia tutorum quae sint, patebit e sequentibus: ante omnia curet inventarium bonorum ac rerum pupillarium publice fieri, nec aliter audeat tutor res pupillares attingere, vel ullam sibi communionem ad eas vendicare, nam tutor, qui repertorium non fecit, dolo fecisse videtur, nisi necessaria et justissima causa allegari possit, cur id factum non sit, ibid.

§. 12. Conscripto vel facto inventario, permissum est tutori, accipiendo et exponendo, emendo et vendendo, atque aliis rationibus utilitati pupillorum consulere, bona tamen inmobilia, et quae vetustate interire nequeunt alienare non debet sine causis sufficientibus, nec sine voluntate et jussu senatus; eo magis non licet tutori res et bona pupillorum nec per se, neque per alios emere, nisi permissu senatus concessum fuerit, ibid. §. 12.

§. 13. Tutoris officium est, ut ante susceptam tutelam, debita, si quae ipsius tutoris apud parentes pupillorum restarent, indicet; officium est porro, ut pupillis bonae indolis, impensas ad institutionem et honesta studia, fidelioris dispensationis et ad magis necessaria tempora facultates eorum conservandi praetextu non deneget; quodsi autem eapropter justa ex causa tutor suspectus fuerit, removebitur per magistratum a tutela, quae aliis bonae fidei viris commendabitur, ibid. §. 14.

§. 14. Quodsi pupillus per metum vel calliditatem tutoris circumventus fuerit, causa cognita, a judice pupillus in integrum restituatur. Nam cum pupillus ex nullo contractu sine tutoris authoritate obligari possit (pupillus enim nec velle nec nolle in ea aetate creditur) nulla aequitatis ratio patitur, ut in rem suam tutor autho-

ritatem accomodet, ac cum alterius detrimento et injuria evadat locupletior, ibid. §. 13.

Sectio 3.

Quibus modis tutela finitur.

§. 15. Finitur tutela sequentibus modis: morte vel pupillorum vel tutorum, aetate pupillorum, masculis enim pupillis post vigesimum suae aetatis annum, et puellis postquam nubserint, bona eorum extradari solent, et e tutela exeunt, l. 2. t. 3. § 10. l. 3. t. 6. §. 17.

§. 16. Excusatio tutoris est: tutelae justa deprecatio, ad justitiam autem ejus requiritur, ut fiat 1. ex causa. 2. modo. 3. tempore legitimo.

§. 17. Causae esse possunt sequentes, petitae e jure Justinianeo quoque: 1. numerus liberorum, l. 2. t. 3. §. 6. Numerus hic in jure statutali non definitur, jure quidem romano in urbe trium, in Italia quatuor, in provinciis quinque liberorum excusabit. Reisznerus opinatur jure transsilvanico nonnisi 5 liberos, patri ad excusationem ab onere tutelae prodesse, hanc exhibens rationem, quia nos respectu Romae, jure provinciarum uti censemur. Salva aliorum quoque debet esse opinio circa hanc juris quaestionem. 2) Administratio magistratus. 3. Paupertas, sed magna. 4. Adversa valetudo, ibid. Plures excusationis causae praeter has in statutali jure non reperiuntur. 5. Absentia reipublicae causa. Lis de omnibus bonis vel majore bonorum parte. 6. Inimicitia capitalis inter tutorem

et pupillum vel patrem ejus. 7. aetas major 70 annis. 8. Munus medicorum, juris-professorum, quibus scilicet professoribus jus excusandi Constantinus tribuit.

§. 18. Hae quidem causae communes sunt tutoribus et curatoribus, illa propria est curatoris, ut si tutelam gesserit, jure romano ejusdem curator esse non cogatur.

§. 19. Modus excusationis is posset esse: ut tutor causam excusationis proponat, probetque coram magistratu, a quo datus est, argumento §phi 8. t. 3. l. 2. et si is causam rejiciat, a decreto rejectionis, non a datione appellet; plures alias post aliam excusationes interponere licet. Tempus vero, intra quod excusatio proponenda est 50 dierum continuorum, ex quo cognovit quis se tutorem esse datum. Inst. Just. l. 1. t. 25. §. 16.

Sectio 4.

De suspectis tutoribus et curatoribus.

§. 20. Finitur tutela remotione suspecti tutoris, est autem suspectus tutor, qui non ex fide tutelam gerit, licet solvendo par sit, l. 2. t. 3. §. 15. Cognitio de suspecto tutore est magistratus ipsius, illi enim imputatur si minus idoneus, quemadmodum etiam si tutor datus non sit, ita tamen si monitus non dederit, ibid. §. 8. Causa autem suspecti cognitionis est, non tantum fraus et dolus, sed et negligentia, inconsiderantia, non autem paupertas. Enimvero

tutor vel curator quamvis pauper sit, fidelis tamen et diligens si fuerit, removendus non est quasi suspectus. Suspectus demum etiam is putatur, qui moribus talis est, ut suspectus sit, ibid. §. 15.

Sectio 5.

De curatoribus.

§. 21. Tutelam sequitur cura seu curatela, quae, est vis et potestas administrandi bona eorum, qui vel per aetatem minorem 20 annis, vel per animi corporisve vitium, ea administrare nequeunt.

§. 22. Titulus statutorum de tutelis conscriptus, facit mentionem curatorum, absque eo tamen, ut definiret quid sit curatela, vel qui sint curatores; unde differentia inter tutorem et curatorem prodire cuivis posset; non abs re itaque erit, de hac differentia aliquid ad commune adferre. Differt a tutela curatela 1) Quod tutela detur impuberibus, curatela vero puberibus, minoribus tamen, viginti annos haud expletis. 2) Tutela detur invitis etiam, curatela autem volentibus et ne fors petentibus, Inst. Just. de curat. quod tamen de jure nostro statutali aliter se habet, bona enim ante vigesimum aetatis annum masculis non solent extradari, consequenter nolentibus curatela bonorum competit. 3) Quod tutela detur tam personae, quam rei, haec autem rei duntaxat.

§. 23. Curatores dantur eodem modo et ordine et ab iisdem, a quibus tutores dari dictum est, obligatio vero curatorum quae sit, patet ex differentia inter tutorem et curatorem huc adlata, up. quod diligentem bonorum ac rerum pupillarium curam habeant.

§. 24. Juxta definitionem curatelae, datur curator furiosis quoque, mentecaptis ita et surdis, mutis, et qui perpetuo morbo laborant, (quia rebus suis superesse nequeunt) prodigis, etiam si prodigi majorem aetatem multo superent, l. 2. t. 3. §. 10. quibus res et bona eorum post contracta connubia et postquam comparcere consveverint extradari a lege jubentur. Ibid.

§. 25. De prodigorum cura publicari jussit rescriptum quoddam 8-a aprilis 1772. diva Maria Theresia, quod est luculentum providentiae maternae testimonium.

LIBER SECUNDUS.

DE JURE RERUM.

Titulus 1.

De jure rerum in generali et de divisione rerum.

§. 1. Alterum juris civilis objectum constituunt res. Jus rerum, est complexus jurium, quae circa res versantur, estque duplex, scilicet jus in re, et jus ad rem. Jus in re, definitur esse: facultas homini in rem competens, sine respectu ad certam personam, quae quibus modis civiliter acquiratur, patebit inferius, ubi agetur de dominio. Jus ad rem: facultas competens personae in personam, ut haec aliquid dare vel facere teneatur. Jus in re apud nos idem est ac proprietas vel radicalitas juris. Jus ad rem oritur ex diversis contractibus sive obligationibus. Juris in re species sunt: 1) Dominium stricte sic dictum. 2) Jus servitutis. 3) Jus haereditatis. 4) Jus pignoris.

§. 2. Ex jure in re, sequi debent: 1) Quod illud sit perpetuum. Hinc illud juris axioma: quod meum semel est, amplius meum fieri ne-

quit. 2) Ita inhaereat rei, ut ad cujuscunque possessionem, detentionem vel custodiam res deveniat, jus in re nunquam expiret, ac vel ideo: 3) Jus hoc producit actionem realem adversus quemcunque possidentem, aut turbantem, quae soli duntaxat domino vel quasi domino competit.

§. 3. Ex jure ad rem, fluunt: 1) Quod quia illud ex obligationibus oritur, personam non egreditur. 2) Ex hoc jure datur actio personalis contra personam nobis obligatam, unde axioma: personalia cum persona exstingvuntur, et contractus contrahentes duntaxat ligant.

§- His praemissis, videndum est: quid sit res? Res in sensu latissimo significat omne objectum juris praeter personas. Hoc sensu, rerum nomine, facta et actiones comprehenduntur. In sensu strictiori, rei nomine venit omne id, quod existit et in sensus cadit. Et sic: res latius patet vocabulo pecuniae, siquidem res continet ea quoque, quae extra patrimonium nostrum sunt, pecunia ad ea tantum refertur, quae in nostro sunt patrimonio, adeoque generatim bona complectitur, hoc est, quae vere, et sunt in alicujus patrimonio, unde peculium, quasi proprium et privatum bonum nominatur.

§. 5. Res, tum absolute, tum relate consideratae, multifarie dispescuntur, praecipuae illarum divisiones sunt:

I. Aliae *corporales*, aliae *incorporales* sunt, illae tangi possunt, hae vero, quae tangi non possunt; illae vel sunt *mobiles*, quae salva sui substantia de loco in locum deferri possunt, et quae etiam virtute propria de loco in locum moventur, uti oves, boves, vel *immobiles* quae salva substantia transferri, nequeunt. Ex his scilicet rebus corporalibus immobilibus quaedam

natura tales sunt, ut res soli, agri, fundi etc. quaedam fictione juris, ex jure civili, prout et ex partium contractu, quamvis natura sua sint mobiles, et vocantur *civiliter immobiles res*, uti sedilia in templis, horologia adfixa, lecti, mensae in diversoriis, ad ipsum jus hospitii ita deputatae, ut perpetuo ibi maneant. — Res incorporales in se complectuntur jura et obligationes, utpote jura haereditatis, genera et quantitates; atque haec jura incorporalia nec possideri, nec tradi, nec in dominio esse, sed quasi possideri, quasi tradi, ac in bonis esse intelliguntur, et proprie nec mobiles, nec immobiles res dici queunt, quamvis extra ordinem ad alterutrum harum rerum genus referri possint.

§. 6. II. Res aliae *fungibiles*, *non fungibiles* aliae sunt; illae ipso usu, ad quem destinatae sunt, consummuntur, hae sunt quarum usus sine abusu est. Fungibiles consistunt: in numero, pondere et mensura, Stat. l. 3. t. 1. §. 1. et ideo in earum commercio non tam fit respectus ad corpora, quam ad qualitatem et quantitatem, tales fungibiles res sunt: pecunia, argentum, aes, aurum, vinum, oleum, frumentum, quia vinum mensura, pecunia numero, argentum et aes pondere constare dicitur.

§. 7. III. Res aliae *divini*, aliae *humani juris* sunt. Illae vel sacrae, vel religiosae, quae omnes commercio exemtae sunt. *Sacrae* sunt, quae speciali deputatione sunt ad Dei cultum et religionem immediate ordinatae. Lex statutalis §pho 10. t. 2. l. 4. comprehensa, in ignem conjicere vult eos, qui res sacras ex aede sacra surripuerint, adversus quos sacrilegii actionem competere certum est.

§. 8. *Religiosae* dicuntur: quae propter sanctitatem suam sunt commercio humano exemtae, uti sunt caemeteria, sepulcra vel monumenta templo dicata. Ita, illae etiam res possunt dici religiosae quae publica auctoritate causis piis inserviunt, veluti orphanotrophia, domus religiosorum. *Sanctae* res in sensu speciali juris stricti sunt: quae ritu solenni Deo consecrantur et Deo dicantur, in sensu tamen juris communis sanctum dici potest omne, cujus violatio singulari poena coërcetur; quo sensu non tantum res, sed et personae ac leges ipsae sanctae sunt, ideo contra violatores earum graves statutae sunt poenae.

§. 9. Res humani juris sunt, vel communes, vel publicae, vel universitatis, vel singulorum. *Communes* sunt, quae quoad proprietatem nullius, quoad usum omnium hominum sunt. In harum rerum numero sunt: aër, aqua profluens, mare et per hoc littora maris. *Publicae* sunt, quae ratione proprietatis populi sunt, quoad usum singulorum ex populo, et ideo quasi populicae dictae. *Res universitatis* sunt, quae in dominio universitatis sunt constitutae. Dispescuntur hae in res universitatis in specie sic dictas, et in patrimonium universitatis; illarum usus singulis vacat, proprietas vero est apud universitatem, tales sunt sylvae communes, pascua communia etc. Patrimonium universitatis est, quod ad usum publicum totius corporis civilis destinatum, ut sunt reditus universitatis. Denique res singulorum seu privatae dicuntur: quae sunt in patrimonio privatorum, seu quae jam actu sunt alicujus.

De possessione.

§. 10. Antequam ageretur de modis acquirendi dominii, plurimum juvabit brevem doctrinam praemittere de possessione. Possessio a posse et sede derivatur, quasi pedum positio, hinc propria et vera possessio in rebus corporalibus datur. Usus rerum incorporalium, quasi possessio dicitur.

§. 11. Possessio in sensu proprio est detentio seu custodia rei cum animo eam detinendi, quo sensu, etiam is possidet, qui nomine jureque alterius rem tenet; stricto tamen sensu is tantum dicitur possidere, qui proprio nomine jureque suo possidet, reliqui enim nude detinent et in possessione sunt, sive habent possessionem facti non juris.

§, 12. Possessio ex diverso respectu, in varias dispescitur divisiones: 1) Ratione habita animi quo possidemus: *civilis*, qua quis rem ut suam possidet, reliqua omnis est naturalis. 2) Respectu objecti: *vera* seu propria possessio, est rerum corporalium, *analogica* seu quasi possessio, est usus rerum incorporalium. 3) Intuitu modi, dividitur possessio in corporalem seu facti, quae in facto consistit, sive dum quis solo corpore rem tenet absque animo ut suam habendi, et in possessionem juris seu civilem, dum quis solo animo possidet sine actu corporis.

§. 13. Adquiritur possessio 1) Apprehensione objecti, animo illud detinendi. 2) Conservatur, quamdiu legitimus modus amittendi non intervenerit. 3) Amittitur vel ex causa voluntaria, *derelictione* et *translatione* in alium, vel etiam citra eandem, amissa potentia ad corporalem rei possessionem accedendi.

§. 14. Generalia possessionis jura sunt: *a*) possessor a probatione tituli est immunis, sive liberatur ab onere probandi, stat enim praesumtio pro possessore. *b*) In pari causa melior est conditio possidentis. *c*) Rem tamdiu retinet, quamdiu alter suam esse probaverit. *d*) In possessione vel unius anni spatio pacifica, contra turbatores et via facti occupatores, pari quoque vi et potentia defendendi jus habet. Equidem hoc probe sciam, de jure hungarico ita esse, ausim tamen affirmare: valere hoc etiam de jure saxonico, generalissima enim legis regula est haec: ut si qui in natione saxonica aliquas putant se habere petitiones, actionibus experiantur. Stat. l. 3. t. 3. §. 1.

Specialia vero possessionis jura esse possunt: *a*) possessor bonae fidei jus habet retentionis. *b*) Fructus facit suos. *c*) Per tempus a lege definitum rei a se possessae consequitur dominium per praescriptionem. St. l. 3. t. 6. §. 15.

Titulus 2.

De dominio, et modis id adquirendi.

§. 1. Dominium est jus in re, de rei propriae substantia disponendi. Essentiam dominii constituit proprietas rei corporalis cum jure eam vindicandi, alios excludendi etc.

§. 2. Variae dominii divisiones a doctoribus adferuntur: 1) Ratione subjecti dividitur in dominium *solitarium*, jure nostro proprium, privatum, exclusivum dictum, quod uni, exclusis

caeteris, et *condominium*, quod pluribus in communione constitutis competit. Condominium habent fratres indivisi, socii etc. 2. Dividitur in *plenum* et *perfectum*, atque *minus plenum*, illud est: dum in uno est plena proprietas conjuncta cum jure utendi, fruendi; hoc est: dum uterque hic effectus conjunctus in uno non est. Si vero sola proprietas alicui competat, habebit dominium *directum*, tale dominium habet locator fundi etc.

§. 3. In omni adquisitione dominii *titulus* distingvendus est a *modo adquirendi*, uterque ad adquirendum dominium est necessarius. Titulus est: justa causa, per quam accedente modo adquirendi, dominium adquiri potest. Modus est: causa adquisiti dominii, seu ex qua actu dominium adquiritur. Vix itaque alio sensu titulus a modo distingvitur, quam ut remota causa a proximiori, nam proxima causa, ex qua dominium adquiritur, dicitur modus, romota autem, ex qua adquiri dominium potest, dicitur titulus, e. c. ratione fructuum cura et cultura est titulus, perceptio vero est modus adquisiti dominii fructuum etc. ita etiam in materia haereditatis adeundae, delatio est instar tituli sive causae, aditio autem instar modi.

§. 4. Modi adquirendi dominii sunt *naturales* et *civiles*, naturales sunt: occupatio, accessio, traditio, modi autem civiles sunt: *a*) Haereditatis successio ex testamento aut ab intestato. *b*) Praescriptio. *c*) Contractus.

De modis acquirendi dominii naturalibus.

§. 5. De hac materia vix aliquid legibus statutalibus definitum est, sed maximam partem,

casus hujus materiae ex legibus naturae, ac civilibus juris romani dijudicari possunt. Pauca itaqué de modis adquir. dom. naturalibus e dicto jure romano repetenda esse. Primus itaque modus *occupatio*, quae est apprehensio rei nullius, nam quod nullius est, naturali ratione cedit occupanti. Nec interest, an quis in suo, an in alieno fundo occupaverit, quod acquisitionem rei occupatae attinet, injuriarum tamen tenetur, qui alienum fundum invito domino ingreditur. Hinc ergo omnes ferae, ut apes, pavones etc. captae non vulneratae cedunt occupanti, ejusque esse intelliguntur, donec custodiam ejus evaserint, seque in naturalem libertatem receperint. Captis autem mansvetis aut mansvefactis, furtum fit, nisi haec deposita revertendi consvetudine, ad ingenium ferarum redierint.

§. 6. Exceptio est in *thesauro*, qui definitur: vetus depositio pecuniae, cujus memoria non exstat. Hinc tum demum totus cedit inventori et occupanti, si eum in suo loco invenerit; hodie tamen qui thesaurum in fundo suo reperit, is fisco principis partem tertiam tradit, si in fundo alieno, tunc dominum fundi etiam in partem conventam vocabit ea lege, ut fiscus sua rata non defraudetur. Qui thesaurum celat, totum amittit, Appr. Const. p. 3. t. 54. Haec autem lex, quia generalissima per totum principatum est, etiam quoad inclytam nationem saxonicam habere suam sanctionem potest.

§. 7. Aliquando occupatione acquiruntur res, quae non sunt nullius, sed in patrimonio aliorum, veluti hostium, ex quibus tamen immobiles cedere ei, cujus nomine bellum geritur, mobiles imprimis in acie captae quandoque distribui, alias occupantibus relinqui solent etc.

§. 8. *Accessio* est: modus adquirendi, quo vi et potestate rei nostrae aliam acquirimus, estque naturalis, artificialis vel mixta. Illa fit solius naturae operatione, ista solo labore humano, haec utroque. Ad naturalem spectat: 1) Alluvio. 2) Avulsio. 3) Insula in flumine nata. 4) Alveus a flumine relictus et 5) Foetura. Ad artificialem spectat: 1) Specificatio. 2) Confusio. 3) Commixtio. 4) Adjunctio, veluti inaedificatio, scriptura, intextura; non vero pictura. Ad mixtam spectat: 1) Plantatio. 2) Satio. 3) Fructuum perceptio.

§. 9. *Alluvio* est: incrementum latens, quo, quid agro nostro paulatim ita adjicitur, ut intelligi non possit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur, adeoque nobis acquiritur. *Avulsio* est, cum vis fluminis, partem praedio meo detractam, ad vicini praedium appellit, eam tamen meam permanere dixit Justinianus imperator. Quodsi autem longiore tempore pars detracta, fundo vicini adhaeserit, arboresque, quas secum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicini fundo acquisitae esse. Inst. Just. d. rer. div. de vi flum. quanquam multi contrarium sentiant, dicantque: partem praedio meo detractam, etsi coalescat cum terra vicini, ad quam delata est, tamen meam permanere. Et certe haec opinio juri naturae etiam conveniens esse videtur, cui adstipulatur Tr. Decrt. p. 1. t. 87. §. 2, 3. *Insula*: quae in medio flumine nascitur, fit eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam praedia possident, pro modo latitudinis cujusque fundi. Ultra medium amnem, prope unam ripam nata, ejus vicino possessori tota cedit. Quodsi aliqua parte divisum sit flumen, deinde infra unitum agrum ali-

cujus in formam insulae redegerit, ejusdem permanet is ager, cujus et fuerat. *Alveus* a flumine relictus, acquiretur etiam vicinis possessoribus, pro modo praediorum. *Foetura* acquirimus, quidquid ex animalibus nostris nascitur, non tam quod accedant aut uniantur rei nostrae, quam quod ex ea nascantur. Quid quid enim ex re mea nascitur, mea est.

§. 10. Sed quaeritur, an *inundatio* mutet dominium? Inundatio est praeter naturam et solitum aquae cursum et brevi intra terminos reditura, ideoque fundi speciem non commutat, et ob id, si recesserit aqua, palam est eum fundum ejus manere, cujus et fuit. Inst. d. rer. div. etc.

§. 11. *Specificatio* est: cum ex aliena materia, alius novam speciem facit, eo animo, ut sibi acquirat; quo casu, materia cedit formae, et res fit specificantis, nisi ad priorem rudem materiam possit reduci, neque tamen pristinus dominus fraudatur aestimatione materiae. Siquis ex alieno vino et melle mulsum miscuerit, vel ex medicamentis alienis emplastrum composuerit, vel ex aliena lana vestimentum fecerit, erit specificatio. Quodsi porro quis partim ex sua materia, partim ex aliena speciem aliquam fecerit, dubitandum non est, hoc casu eum esse dominum, qui fecerit, quum non solum operam suam dederit, sed et partem ejusdem materiae praestiterit. Si tamen alienam purpuram vestimento suo quis intexuerit, licet pretiosior sit purpura, tamen accessionis vice cedit vestimento, et qui dominus fuit purpurae, adversus eum, qui subripuit, habet furti actionem et condictionem, sive ipse sit, qui vestimentum fecit sive alius, nam exstinctae res licet vindicari non possint, condici tamen a furibus et quibusque aliis possessoribus possunt.

§. 12. *Confusio*: est cum duorum pluriumve res liquidae invicem miscentur, quae fiunt communes, si utriusque vel omnium voluntate, aut casu fortuito confusae sunt. Alias illius erit materia, qui ignorante altero confusione novam speciem fecit, nisi res fortuito casu confusae commode seperari possint.

§. 13. *Commixtio*: est cum plurium res solidae invicem miscentur, quae si utriusque vel omnium voluntate sit facta, corpus vel acervum communem facit. Si casu, vel altero ignorante contigerit, dabitur utrique rei suae vindicatio, cujus forma quidem non est mutata, sed tamen, quia singula grana difficulter vindicari possunt, quisque ex commixto acervo partem capit.

§. 14. De *Adjunctione* est regula: quaecunque res alterius rei ita jungitur, ut vel pars ejus fiat, vel sine ea ut fundamento suo esse non possit, cedit ei cui jungitur, ut purpura vesti, aedificium solo, scriptura chartae. Exceptio est in pictura, ob praestantiam artis.

Itaque si quis in suo solo (fundo) ex aliena materia aedificaverit, ipse intelligitur dominus aedificii, quia omne quod solo inaedificatur, solo cedit, praeterea aedificia rescindi non oportere; nec tamen ideo is, qui materiae dominus fuerat, desinit dominus esse ejus; sed tantisper neque vindicare eam potest, neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem 12 tabularum, qua cavetur, ne quis tignum alienum, aedibus suis junctum eximere cogatur, sed duplum pro eo praestet, per actionem, quae vocatur de tigno juncto, (tigni apellatione omnis materia significatur, ex qua fiunt aedificia). Quodsi ex aliqua causa dirutum sit aedificium, poterit materiae dominus, si non fuerit duplum jam

consequutus, tunc eam vindicare, et ad exhibendum de ea re agere.

§. 15. Eadem haec regula adjunctionis obtinet in speciebus mixtae accessionis, veluti *plantatis* et *satis*, secundum tritum illud: „Quid quid „plantatur, seritur, vel inaedificatur, omne solo „cedit, radices si tamen egit. Ad mixtam accessionem quodam modo pertinet etiam *fructuum ex re aliena perceptio*, quorum dominium accedit bonae fidei possessioni, nam bonae fidei possessor omnes fructus sive naturales, sive industriales percipiendo indistincte facit suos.

§. 16. Tertius modus naturalis dominii adquirendi est *traditio*: quae in genere est datio possessionis. Per traditionem quoque, jure naturali res nobis acquiruntur, nihil enim tam conveniens naturali aequitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi, et ideo cujuscunque generis sit, corporalis res tradi potest, et a domino tradita alienatur. Plura de his, qui cuperent, adeant quaeso Inst. Just. de rer. divis.

Titulus 3.

De jure servitutis.

§. 1. Antequam ad modos acquirendi dominii civiles explanandos iretur, necesse esse reor, de jure servitutis aliquid praecipuo agere titulo, silent enim leges statutales de hac juris materia, quamvis obvia; vestigium equidem reperitur praecipue Stat. l. 1. t. 11. §. 6. videlicet tam servitutum urbanarum, quam vero rusticorum praediorum.

§. 2. Juris in re species erat unica, jus servitutis, servitus haec, est jus, quo res alterius rei vel personae servit, i. e. utilitatem praestat, estque *praedialis* vel *personalis*; haec est: quando praedium servit personae, uti, usus fructus, usus, habitatio et similes, nam et servitutes praediales possunt fieri personales; illa, scilicet praedialis servitus est, qua praedium servit praedio, unde aliud est praedium serviens, aliud dominans, estque vel praediorum rusticorum, vel urbanorum. Rusticum autem vel urbanum praedium non locus facit, sed usus. Urbana praedia omnia aedificia accipimus, non solum ea, quae sunt in oppidis, sed etsi forte stabula sunt, vel alia meritoria in villis et vicis, vel si praetoria, voluptati tantum deservientia, quia urbanum praedium non locus facit, sed materia, proinde hortos quoque, si qui sunt in aedificiis constituti, dicendum sit, urbanorum apellatione contineri, plane si plurimum horti in reditu sunt, vinearii forte vel etiam olitorii, magis haec non sunt urbana. Digest. l. 50. de verb. signif.

§. 3. Servitutes praediorum rusticorum sunt, quae rusticis praediis debentur, ut: iter, actus, via, aquaeductus, aquaehaustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, calcis coquendae, arenae fodiendae. Quinque has posteriores servitutes separavit imperator a caeteris rusticis, quod sint obscuriores, nam aquaehaustus, pecoris ad aquam appulsus videntur esse servitutes personales, jus autem calcis coquendae, et arenae fodiendae videntur esse servitutes urbanae aut etiam personales.

§. *Iter* est jus eundi, ambulandi per alterius praedium ad utilitatem praedii sui. *Actus*, est jus agendi jumentum, vel vehiculum per alterius

fundum, ad utilitatem fundi sui, itaque qui habet iter, actum non habet, sed qui actum habet et iter habet, eoque uti potest etiam sine jumento. *Via* est jus eundi et ambulandi hominis, lapides lignave trahendi etc. Hinc via, iter et actum in se continet. *Aquaeductus*, est jus aquae ducendae per fundum alienum. Ex his facile intelligentur definitio et natura aliarum quoque servitutum rusticarum.

§. 5. Servitutes urbanorum praediorum sunt hae, quae aedificiis inhaerent: ideo praediorum urbanorum dictae, quoniam aedificia omnia praedia appellantur, etsi in villa aedificata sint. Sunt autem servitutes hae sequentes: 1) Oneris ferendi, h. e. ut vicinus onera vicini sustineat. 2) Tignum immittendi, ut in parietem vicini, vicino liceat tignum immittere. 3) Fluminis recipiendi, ut quis stillicidium vel flumen recipiat in aedes suas vel in aream, vel in cloacam, vel non recipiat. 5) Altius non tollendi, ne altius quis tollat aedes suas. 6) Luminibus non officiendi, ne qui luminibus vicini officiat. 7) Prospectui non officiendi, et similes.

§. 6. Omnes autem hae, similesque species ita sunt intelligendae, ut in iis, quis cogatur quid pati, contra communem sive civili, sive alio jure introductam libertatem praedii sui, ad utilitatem praedii vicini urbani vel rustici. Aliquando tamen etiam quis in suo quid facere tenetur, ut in servitute oneris ferendi, reficere parietem vel columnam, necnon in servitute altius non tollendi, quae est exceptio a regula illa: natura servitutum est, ut quis in suo patiatur, non ut quid faciat.

§. 7. Ideo autem hae servitutes praediorum appellantur, quoniam sine praediis constitui non

possunt, nemo enim potest servitutem acquirere urbani vel rustici praedii, nisi qui habet praedium, nec quisquam debere, nisi qui praedium habet. Demum notandum est, de modo constituendi servitutem: quod si quis velit vicino aliquod jus constituere, pactionibus atque stipulationibus id efficere debeat etc.

§. 8. Anno 1811 26-a junii emanato decreto guberniali jubetur: ut differentiae servitutum in linea politica prae aliis objectis revideantur.

Titulus 4.

De praescriptione.

§. 1. Praescriptio, quae est modus civilis adquirendi dominii, a praescribendo seu praefigendo ita dicta, est: temporis praefixio, sive terminus a lege positus, intra quem, si res non repetitur, possessor illius fit dominus. Origo praescriptionis, diversis ex causis juri naturae adscribitur, quoad formam juris civilis est.

§. 2. Olim usucapio a praescriptione maxime differebat: illa dominium, haec exceptionem dabat, qua alterius jus exstinctum est, illa locum in solis corporalibus, haec in incorporalibus rebus quoque locum obtinebat. Sic usucapio in mobilibus tantum S. Lad. l. 3. c. 20. praescriptio tam in mobilibus, quam immobilibus locum habuit, sed haec differentia non multum consideratur.

§. 3. Praescriptio itaque in genere est, modus excludendi jus ob neglectam ejus persecutionem, per tempus lege definitum. Jure civili romano est, adjectio aut (ut aliqui corrigunt) adeptio dominii, per continuationem possessionis, lege definiti temporis.

§. 4. Duplex igitur est praescriptio 1) *Extinctiva*, qua tantum exceptio constituitur, ad submovendam intentionem alterius. 2) *Adquisitiva*, qua directe res aliena seu jus in re aliena adquiritur; illius causa, in sola neglecta juris persecutione posita, et hinc actioni et liti praescribitur, actiones enim litium, bonorum naturam imitantur; hujus insuper in legitima possessione, qua is, qui praescribit, rem acquirendam per definitum tempus tenuit.

§. 5. Utraque praescriptio, boni publici causa introducta est, nempe, ut dominia rerum sint certa. Stat. l. 3. t. 6. §. 13. sit finis litium et jurgia cessent, demum domini excitentur ad rerum suarum diligentiam.

§. 6. In praescriptione spectari debent *objectum* et *causa* adquisitionis, quae consistit in possessione legitima per tempus lege definitum continuati. In objecto, duo considerantur 1) Ut res sit in commercio. 2) A praescriptione ne sit exemta, sive non sit vitiosa. Ex quibus sequitur: *a*) Loca sacra seu res sacras. *b*) Loca publica, quo referri debent res universitatis et communes. *c*) Res merae facultatis et arbitrii. *d*) Res furtivas et vi possessas. *e*) Metas terrarum, seu ut codex juris loquitur, actiones finium regundorum, objectum praescriptionis esse non posse. Stat. l. 3. t. 6. §. 16. Imo loca sacra et publica a quoquam si perperam occupata, vendita vel quocunque modo alienata fuerint, cor-

pori tamen suo, a quo sunt avulsa restituentur, ita ut iniquis comparatoribus nec pretium reposcere liceat. Ibid.

§. 7. Quomodo res fiunt vitiosae, et quae sunt illae? Res immobiles vitium contrahunt, si vi occupentur et possideantur, dicuntur autem res vi possessae, quibus expulso vetere possessore, acquisita per vim possessio obtinetur. Duo itaque requiruntur, ut res immobilis possideatur, dejectio nempe veteris possessoris, et occupatio possessionis.

§. 8. Res autem mobiles vitium accipiunt, si furto auferantur, aut amoveantur, consequenter tam res furto ablatae, quam amotae, tanquam res vitiosae praescriptionem excludunt, adeo, ut ne quidem a bonae fidei possessore, qui eas justo titulo acquisivit, usucapiantur, quia vitia possessionum, a majoribus contracta perdurare et successorem auctoris sui culpa commitari dicitur. Plura vide in Comment. Reiszneri. In genere itaque res vitiosae proprie sunt: furtivae et vi possessae, quae praescribi non possunt, nisi vitio purgato, quod fit, cum res in potestatem domini revertitur.

§. 9. In praescriptione, ut praemissum est § 6-o requiritur etiam possessio, ad hanc autem possessionem tria requiruntur: 1) Ut sit civilis. 2) Ut sit bonae fidei; est autem bona fides, opinio possessoris, qua se juste possidere putat, quamve bonam fidem jura etiam statutalia requirunt. Stat. l. 3. t. 6. §. 13. Hoc poscente jure civili quoque. 3) Requiritur ad possessionem, ut sit legitime, sive ex justo titulo, id est, ex causa ad transferendum dominium habili, acquisita. Hinc fluit, quod neque mutuatae, commodatae, depositae et legatae res, neque etiam tute-

lae actiones ullo modo possint praescribi, Stat. l. 3. t. 6 .§. 16. Quemadmodum etiam arendator, tutor, curator, provisor rem per ipsos possessam praescribere non possunt. Item is, qui rem precario tenet, deest enim, ut dictum est, causa ad transferendum dominium habilis.

§. 10. Porro, possessio haec legitima continuari debet per tempus praescriptionis lege definitum. Tempus hoc est varium, pro diversitate scilicet rerum et etiam jurium: et quidem 1) Momentaneum, ut in defensa, Stat. l. 4. t. 3. §. 5. in fine, et in captivatione e loco delicti. 2) Quindecim dierum: intra quos is, qui ad fundum venditum se juris aliquid habere credit, et praesens sit, tempore statutionis s. immissionis per famulum publicum contradicere debet (virtute sigilli judicis) ac tandem ad decimum quintum diem coram judicio rationem contradictionis suae assignare tenetur. Stat. l. 3. t. 6. §. 8. 3) Unius horae et unius diei, intra quod tempus, si deliberandi horam vel diem postulans non appellaverit, praescribitur illi. 4) Sexaginta dierum, intra quod tempus, si literae transmissionales non postulabuntur, praescribitur, l. 1. t. 11. §. 3. 5) Trium dierum, si quis equum vendit, de vitiis cavebit in diem usque tertium, secus venditor emtori praescribit, l. 3. t. 6. §. 11. 6) Creditores praescribunt contra haeredem agentem intra 30 dies, si sub illo tempore inventarium facere neglexerit haeredemque se gesserit, l. 3. t. 3. §. 5. 7) Unius anni, quo is, qui contradicere posset venditioni, et absens esset, neque novisset fundum venalem esse, jus suum persequi potest, ab illo quo intellexit venditum esse fundum. Quo temporis spatio, majoribus etiam per fraudem vel dolum vel perperam sine

judicio factis divisionibus subveniri solet, effluxo vero anno, beneficio huic legis praescribitur, l. 2. t. 4. §. 16. Quo temporis lapsu actioni injuriarum praescribitur, l. 4 t. 5. §. 3. Quo temporis spatio, contra jus testimonia attestantium recepta producendi praescribitur, nisi morae causa adsignabitur, Stat. l. 1. t. 8. §. 1. 8) Unius anni et unius diei: quo venditores fundi alicujus de evictione inter praesentes tenentur, elapso vero termino hocce juri emtorum praescribunt, et quo emtores, illis, qui impetituri eos essent, ingredientes regnum, aliisque justis impedimentis sublatis, jus suum non prosequerentur, praescribunt, l. 3. t. 6. §. 12. Quo majorenni, viginti scilicet annorum et e tutela exeunti, si intra hujus regni limites fuerit, quoad fundum venditum, praescribitur. Ibid. 17. 17. 9. Duodecim annorum, quibus majorenni, etiam si in externis regionibus fuerit et fundum venditum ignoraverit, jusque suum non fuerit prosequutus, praescribitur, ibid. Quibus, duodecim scilicet annis, saxones Transsilvaniae in bonis et rebus immobilibus, justo titulo, puta, emtionis, donationis vel successionis sive per se, seu per antecessores suos, sine aliqua legitima interpellatione possessis, praescribunt, l. 3. t. 6. §. 15. Et haec duodecim annorum praescriptio vocatur longi temporis praescriptio, ibid. §. 17. 10) Immemoriale praescriptionis tempus est, cujus initii memoria in contrarium non existit, habetque locum, dum consvetudo inducitur in his, quae sunt reservata principi in signum supremae potestatis.

§. 11. Ad perficiendam praescriptionem et eandem complendam requiritur: ut possessio civilis per enumeratum tempus haud interrupta,

continuetur, et ideo apud civilistas *suffragium temporis* vocatur. Dantur tamen tempora, quibus dormire, non currere et interrumpi praescriptio dicitur.

Dormire dicitur praescriptio, dum videlicet inchoata quidem est, sed ob impedimentum interveniens, e gravissimis causis, puta: *belli*, captivitatis hostilis, et a paritate hujus pestis, promanans, suspensa manet, donec illud impedimentum removeatur.

Non currere dicitur: dum ob legitimam quampiam causam, initium suum habere non potest. Non currit e. g. contra pupillos, usque ad aetatem majorem, 20-mum videlicet aetatis annum, quo anno e tutela exit. Non est incognitum (verba sunt legis) id temporis, quod in minori aetate transmissum est, longi temporis praescriptioni non computari, ea enim tunc incipit currere, quando ad majorem aetatem dominus rei pervenerit, lib. 3. t. 6. §. 17.

§. 12. Quaenam res vel bona sint ad praescriptionem habiles et habilia, de eo actum est; videndum paucis, qualesnam personae sint ad praescribendum habiles? Habilis est persona natura ac legis dispositone. Natura habilis est, quae animum possidendi habet, inhabiles sunt ergo natura: infantes, furiosi, mente capti etc. E legis dispositione inhabiles esse: forenses seu extraneos, qui nulla ratione reipublicae obstricti sunt; rusticos seu convenientius sensui legis, colonos, intuitu rerum vel bonorum nobilitarium; fratres condivisionales non divisos intuitu bonorum mutuae devolutioni obnoxiorum — pignoratarios intuitu bonorum impignoratorum, l. 3. t. 2. §. 3.

§. 3. *Interrumpitur* vero praescriptio, vel naturaliter vel civiliter, naturaliter: dum quis possessorio dejicitur, civiliter vero, per legitimam interpellationem, l. 3. t. 6. §. 15. Dicitur autem interpellatio haec legitima, quia non per quamcunque admonitionem aut interpellationem amicam interrumpitur praescriptio, sed per eam, ac talem, quae ex legis dispositione vim et efficaciam interruptionis habet, qualis esset interventus judicialis actus, utpote: admonitio judiciaria, contradictio, pretestatio cum inhibitione conjuncta, litis motio.

§. 14. Praescriptio legitima perfecta, tribuit praescribenti effectus sequentes: 1) Praescribenti dominium rei attribuit plenum, sed et exceptionem parit meritoriam seu peremtoriam, qua obposita ac probata, dominus rei prior cadet ab actoratu reali ac jure rei suae, l. 3. t. 6. §. 14. 2) Ipsi praescriptario autem aufert jus omne atque dominium in *poenam* negligentiae, hinc mortuo praescribente ac in semine utriusque sexus deficiente, res praescriptione adquisita, non ad praescriptarium devolvitur, sed ad fiscum civitatis s. reipublicae, l. 2. t. 2. §. 13.

§. 15. Libri 3 tii, tituli 6-ti, §-pho 13-o habetur: quod si quis emerit praedium bona fide, ab eo, qui dominus non est, cum crederet eum dominum esse, ac predium illud per justam temporis praescriptionem possiderit, a possessione removendus non est. Sed quaeritur et quaeri potest: an vero domino, qui praedium suum non vendidit, falsarium hunc venditorem rei suae, actione juris pulsare liceat ad pretium quod accepit restituendum? Illustris Reiszner in Commentario suo §. h. t. 25-to affirmare videtur; quod tamen ego negare ausim, quum probe sci-

am per praescriptionem jus proprietatis penitus exstingvi debere. Est praeterea a lege tempus constitutum, intra quod, quivis rei suae dominus juri suo invigilare debeat, et si dominus rei, jus suum intra tempus lege definitum non fuerit prosequutus, is merito rem suam dereliquisse censetur.

§. 16. De aequitate praescriptionis, in praesens verba essent facienda, nisi egerint et agant de hac materia illustres juris professores, pauca tamen attingere sufficiat; per praescriptionem nullum praescriptario praejudicium inferri inde patet: quod praesummitur ejus consensus, qui rem suam ab alio diutissime detineri patitur; praeterea negligentiam illius per civitatem, cujus saluti ipse quoque subscribsit, puniri, non iniquum est. Pertinet autem lex praescriptaria ad salutem civitatis, quia rerum dominia facit certa, litibus in infinitum movendis finem ponit, vigilantiam dominorum excitat, ne res suas negligant.

Titulus 5.

De haereditatae in genere.

§. 1. Haereditas *objective* denotat: complexum bonorum a defuncto relictorum, *subjective* est juris nomen, et est: successio in universum jus, quod defunctus habuit. Haereditas itaque pro jure accepta, cum successione idem significat, quae successio duobus modis defertur, uno

ex ultima voluntate seu testamento defuncti, quae testamentaria, altero modo: ex immediata juris dispositione, quae legitima seu ab intestato dicitur.

§. 2. In haereditate accurate discernenda est: delatio haereditatis ab aditione, delatio (Anfall) enim est instar tituli seu causae, aditio autem (Antritt) modi vicem implet.

Titulus 6.

De testamentis.

§. 1. Testamentum ab etymologia sua est: mentis testatio, haec autem est: declaratio ultimae voluntatis legitima, de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, in specie autem est: declaratio ultimae voluntatis, haeredis institutionem complexa.

§. 2. Testamentum duabus partibus constat, materia ac forma, illam constituunt testator, haeres ejusve institutio, denique bona testamento conferenda, hanc constituit modus condendi testamenti, seu testamenti factio.

§. 3. Quod primum attinet in testamenti factione, ratione testatorum requiritur 1) *Mentis integritas*, l. 2. t. 5. §. 13. itaque non corporis sanitas praecise requiritur, ibid. §. 3. 2) *Mentis plena libertas*, unde testamenta vi, metuve extorta nulla sunt, ibid. 7. 8. quo pertinent etiam persvasiones intempestivae, dolosae,

urgentissimae, quibus, quidam non erubescunt molesti esse aegrotis. 3) *Mentis certitudo*, hinc surdi, muti, furiosi, et ex morbo mentecapti testamentum facere non possunt, l. 2. t. 5. §. 2. Ast ii, qui muti tantum nati vel casu facti vel surdi tantum sunt, vel utrumque vitium morbo casuve contraxerunt, nihilominus testamentum facere possunt, modo voce exprimere, vel scripto mentem indicare queant, l. 10. c. de test. Silent equidem de his modo praerecensitis personis leges, ast supplendae e jure imperatorio. 4) *Libertas disponendi.*

§. 4. Jam e requisito primo fluit, ratione status naturalis, jure testandi destitui: 1) *Impuberes,* qui legitimos suae aetatis annos non compleverunt, nempe masculi 14-tum, foeminae 12-mum; nullum enim animi eorum judicium esse supponitur, adeoque neque integritas mentis. 2) *Furiosi*, ita et mentecapti, quia mente carent. Id facile heic intelligitur, testamentum ab homine sanae mentis conditum, superveniente furore nullo modo vitiari, nam neque testamentum rectefactum, neque ullum aliud negotium recte gestum postea furor interveniens perimit. Inst. Just. l. 2. t. 12. Id quoque notari oportet: furiosos si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus esset, jure testatos esse, ibid. 3) *Agonizantis* quoque testamentum periculosum est, nisi doceatur, testatorem in articulo mortis constitutum sanae mentis fuisse, et hoc maxime requiritur, solent enim maxime aegri et morbo correpti de testamento faciendo cogitare, quia sani homines triste et ominosum esse putant, testamento facto mortis anticipare cogitationem. Ex his deducitur, indigitante etiam §-pho 3. t. 5. l. 2. aegrotos etiam habere

testamenti factionem, idque verum est, etiam si mortis acerbitate, vel ob instantis mortis periculum nonnihil perturbatus, vel graviter decumbens et semimortuus aegrotus fuerit, modo e verbis, balbutiente lingva prolatis sanus sensus et animus testamentum faciendi colligi possit. 4) *Summe ebrii*, aeque valide non condunt testamentum, nisi mentis compotes ratihabeant, pariter et summe irati, qui furiosis accedere videntur, mentis enim compotes debent esse, qui testamentum condere volunt, l. 2. t. 5. §. 1.

§. 5. Ex requisito posteriori §-pho 3-tio notato, fluit: non posse testamentum condere ob rationem status civilis 1) Prodigos, civiliter tales, quibus bonorum suorum administratio interdicta est, sed id, quod ante fecerint, quam interdictio bonorum suorum fiat, ratum esse, Inst. Just. l. 2. t. 12. §. 2. Stat. l. 2. t. 5. §. 5. Aequiparantur prodigi fictione juris furiosis. Dictum est notanter: prodigos civiliter tales, ante enim publicationem excelsi regii Gubernii, prodigi civiliter tales haberi non possunt.

Objici posset: §-pho hocce statutali directe haud contineri: prodigos non posse testamentum condere. Verum est, id enim tantum habetur, quod qui testamenti faciendi jus non habent, ii neque testes esse possunt in testamentis. Lex haecce vice etiam versa valet, hoc est, qui testes adhiberi in testamentis non possunt, neque jus condendi testamenti habent, atqui prodigi civiliter tales, quibus bonis interdictum est, testes adhiberi non possunt, sequitur ergo: neque testamentum facere posse. 2) Non possunt condere testamentum *filiifamilias*, sunt enim subjecti alieno juri, l. 2. t. 5. §. 5. videlicet potestati parentum, qui filiifamilias de jure impera-

torio, etiamsi parentes eis permiserint, nihilo magis tamen testari possunt. Quare filiifamilias tanquam etiam impuberes non possunt testamentum condere, actum de eo est, §-pho 4-to. 3) Non possunt facere testamentum *,damnati criminis laesae majestatis'*, qui simul et vitam et bona amittunt, quapropter si bona amittant, neque objectum testamenti habere possunt, l. 4. t. 8. §. 2. 4) Non possunt testari *pater* de duabus partibus suae haereditatis seu bessis, *mater* vero aeque duabus sui trientis partibus, duae enim hae partes tam ex besse patrum, quam ex triente matrum constituunt partem illam bonorum, quae in jure *legitima* audit, et haec legitima (scilicet portio) competit descendentibus, neque testamento ullo subjacet modo, l. 2. t. 5. §. 9. 5) Non possunt vir et uxor invicem mortis causa donare res et bona sua, existentibus liberis, ascendentibus et fratribus ac sororibus, quibus omnibus de inofficioso agere licitum, ibid. §. 13. 11.

§. 6. Materiam testamenti ut supra, constituit *haeres*, haeres autem institui potest omnis, qui bonorum acquirendorum capax est. Sciendum est: haeredes alios esse *necessarios*, alios *voluntarios*; illi, sunt quos testator ex juris necessitate vel haeredes scribere obligatur, vel legitime ab haereditate excludere. Necessarii sunt: 1) Liberi testatoris l. 2. t. 5. §. 9. ubi habetur: quod parentes liberos vel nepotes in testamentis suis haeredes scribere coguntur. 2) Parentes testatoris, argumento l. 2. t. 5. §. 1. ibi enim legitur: universae personae mentis compotes testamentum facere possunt, ita tamen, ut legitima portio patri et matri relinquatur. 3) Fratres et sorores, ibid. §. 11. et 1. §-pho 11-mo habe-

tur: quod fratribus et sororibus, quemadmodum parentibus et liberis de inofficioso testamento agere licet. Voluntarii haeredes sunt omnes extranei, hoc est, qui extra suos et necessarios sunt.

§. 7. Institui possunt haeredes ii quoque, quos testator nunquam vidit, veluti si testator fratris filios peregrinantes ignorans qui essent, haeredes instituerit, ignorantia enim testantis inutilem institutionem haud facit. Inst. Just. §. 8.

§. 8. Statutorum l. 2. t. 5. §. 12. fit mentio *substitutionis*, absque eo, ut definiretur quid illa sit. Substitutio generaliter definitur ita: Est institutio conditionalis in subsidium prioris haeredis deficientis, aliter: est designatio personae, quae ut haeres alteri surrogatur. Duplex autem est: altera est *vulgaris*, quae et directa, ut: si Titius haeres non erit, Sejus haeres esto, et est designatio haeredis ulterioris, in casum deficientis anterioris. Hujus effectus est: ut existente conditione seu haerede primo, haereditatem non adeunte, substituto haereditas deferatur, pro ea parte, quam accepisset is, cui substitutus est; nam quemadmodum dilexit testator haeredes in istituendo, ita eosdem dilexisse videtur in substituendo, nisi alia testatoris voluntas appareat. Altera est pupillaris, ut si filius meus haeres erit et ante pubertatem decesserit, Titius haeres esto, et est designatio haeredis in bona impuberis in potostate patria constituti, sub conditione, si impubes in hoc statu decesserit. Talis substitutio est pars et sequela paterni testamenti.

§. 9. Denique materiam testamenti constituit res testamento conferenda. Res debet propria conferri, ac ab eo, qui liberam habet dis-

sponendi facultatem. Unde pronum est, non posse testamentum condi. 1) Super bonis alienis, qualia sunt bona pignoratitia, ita vero super pecunia investita. 2) Arendatores, curatores nequeunt super bonis curae commissis testamentum facere, nam non sunt propria. 3) Hac ex ratione non possunt filii, filiae super bonis paternis maternis vivo parente. 4) Frater indivisus non potest disponere de re dividenda communi, ullo sub praetextu, nec vita comite, nec mortis causa, l. 2. t. 4. §. 12. 5) Prodigus etiam non potest disponere, interdicta enim est administratio illi, lege XII tabularum l. 2. t. 3. §. 10. non possunt testari super bonis a parentibus relictis minores, masculi ante vigesimum aetatis suae annum, puellae antequam nuptui locatae fuerint, quia res et bona eorum et earum ad hoc usque tempus neque extradantur, suntque sub tutela. Qui sint adhuc tales, qui non habent liberam disponendi facultatem, videas §-um hujus tituli 5-tum.

§. 10. Materiam testamenti excipit forma, formam vero testamenti condendi constituit *modus*. Itaque testamentum vel verbis ore prolatis nuncupatur, unde testamentum *nuncupativum*, vel scripto declaratur, unde testamentum *scriptum*. Dividitur porro testamentum in *solenne* et *perfectum*, quod habet omnes solennitates a jure requisitas, et in *insolenne*, non solenne seu imperfectum et *privilegiatum*, quod nullas vel non omnes habet solennitates juris, nihilominus tamen ex speciali juris privilegio sustinetur, et valet; atque utrumque est vel scriptum, vel nuncupativum.

§. 11. Solennitas haecce testamenti alia est *intrinseca*, quae consistit in ipsa activitate seu facultate testandi; alia *extrinseca*, quae est ipsa

testamenti forma. Intrinseca subdividi potest in personalem et realem; personalis est, quae a persona testatoris dependet. Hac destituitur testamentum ejus, qui jure naturae vel positivo prohibetur a testamentificatione; qui vero sint illi, qui jure naturae vel positivo a testamentificatione prohibeantur, vide §phos h. t. 3. 4. 5. Realis intrinseca solennitas est, quae respectu rerum et bonorum, de quibus fit testamentum, consideratur, et hac careret testamentum patris, factum ultra tertiam partem sui bessis, vel factum de integris duabus partibus suae haereditatis, quas parentes liberis suis relinquere a lege coguntur; pariter si mater ultra tertiam partem sui trientis legaret cuipiam, testamentum illud careret solennitate intrinseca reali, l. 2. t. 5. §. 9.

§. 12. Solennitas extrinseca seu forma testamenti consistit in certis requisitis, et quidem dictantibus §phis 4. 5. 16. t. 5. l. 2. requiritur: 1) Ut testamentum scriptum ipse testator subscribat manu sua, eamque esse suam voluntatem ultimam declaret, si scribere norit, vel ob infirmitatem nimiam subscribere non fuerit impeditus. 2) Adsint testes numero juxta leges sufficienti, quilibet enim testamentum facere volens, debet id facere in praesentia duorum aut trium testium virorum (non vero foeminarum), adsint itaque testes duo vel tres iique viri et non foeminae. 3) Requiritur, ut testes sint habiles et idonei, ut scilicet possint in testamentis adhiberi, quales aliqui jure, aliqui natura non sunt, uti haeres scriptus, qui in potestate testatoris est, pater testatoris, fratres, mulier, impubes, furiosus, mutus, surdus, prodigus, cui bonis interdictum est, domestici, l. 2. t. 5. §. 6.

Demum ii, quos leges improbos intestabilesque esse jubent. 4) Fuerint testes per testatorem, vel per alium uno et eodem tempore simul ad id (scilicet testificandum) vocati, vel etiam si non vocati, casu intervenerint, et tamen praesentes per testatorem postea ad id rogati fuerint, atque praesentes testes simul testatorem non solum audiant, sed et videant. 5) Advocatis et praesentibus ita testibus, testator profitebitur, in charta, per ipsum complicata ultimam suam voluntatem contineri, cui testes nomina sua adscribant, sigillisque suis obsignent, anno, die et loco nomineque testatoris adnotatis; potest enim testator ultimam suam voluntatem in charta conscribere, vel conscribi curare, quam chartam testator si velit complicabit, ne mens testatoris ante tempus patefiat, et illi, qui ex testamento emolumentum sperant, frustrati, ad odium concitentur, vel hi, qui haeredes instituti, vel legata percepturi sunt, metuant, ne testator sententiam suam mutet, vitaeque testatoris ob id insidientur; si vero testes scribere non noverint, sigillis suis tantum obsignent testamentum necesse est, quod tamen absque praejudicio et subscribentis et signantis fiat, l. 2. t. 5. §. 16. 6) Requiritur, ut totum hoc testamenti negotium in uno contextu absolvatur, idest nullo actu interposito, qui ad testamenti factionem non pertineret, si tamen actus brevis, inpertinens et extraneus interveniat, quem urgens natura vel corporalis necessitas aut ratio sanitatis in testatore vel teste exigit, nihil oberit, l. 28. cod. d. testam. 7) Requiritur et quidem maxime, ut: fraus, et in testatorem dolosae circumventiones absint, l. 2. t. 5. §. 7. 8) mentis enim plena libertas in testatore requiritur.

§. 13. Vestigium testamenti nuncupativi habetur, l. 2. t. 5. §. 4. in verbis: sive sit in scriptis sive non etc. Solennitas extrinseca his absolvitur, requiritur: 1) Ut testator viva voce ultimam suam voluntatem exprimat, et non inarticulate, sic enim cessaret esse nuncupativum testamentum. 2.) Ut nuncupationem absolvat. 3) Ut tot testes, tales et eodem numero adhibeantur, prout in testamento solenni scripto, ibid.

§. 14. Qui non possint adhiberi testes in testamentis, de eo actum est, qui vero possint esse, de eo etiam agendum: itaque pater cum filio, item duo fratres in eodem testamento alieno simul esse possunt testes, et hoc ideo, quia nihil nocet ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi, l. 2. t. 5. §. 5. Porro legatàriis et aliis personis eis conjunctis testimonium non negatur, ratio redditur ab imperatore: quia non juris successores sunt, idest, non ejusmodi successores sunt, qualis est haeres, nempe juris universalis, sed particularis duntaxat. Tempore pestis aliorumque morborum contagiosorum, qui timorem civilibus incutiut, sufficiunt in testamento duo testes sive masculi sive foeminae, sive etiam sint domestici, sive rogati adveniant sive fortuito, ibid. §. 6.

§. 15. §-phus 5. t. 5. l. 2-di Stat. neque eos admittit pro testibus in testamentis, quos leges improbos intestabilesque esse jubent; sed quaeritur primo, an verba improbi et intestabiles conjunctim sint accipienda? secundo, qui sint ii et tales? Quod primum concernit: erudite explicat Huberus jurisconsultus verba haec esse conjunctim accipienda, neque enim, ait, quamlibet improbitatem, sed talem esse oportet, quae hominem reddat intestabilem, idest omni testi-

monio fideique habendae indignum. Reiszner, §. h. t. 13. Esse autem improbos simul etiam intestabiles illos, qui ob improbitatem morum testes agere nequeunt, convicti tamen a judice, cum omnis ante convictionem supponatur esse bonus. Tales esse possunt ii, quos Stat. l. 4. t. 6-tus, falsos atque infamia notatos pronunciat. Et certe praeter hos, qui possint alii esse, non video.

§. 16. Testamenta minus solennia, quibus vel omnes, vel nonnullae solennitates sunt remissae, et quae aliter privilegiata dicuntur, sunt sequentia: 1) Parentum inter liberos. 2. Testamentum militare. 3) Tempore pestis. 4) De piis legatis conditum; sed et in his omnis fraudis et doli absentia est essentialis. Ad talia testamenta, si scripta fuerint, sola scriptura ac propriae manus subscriptio, si nuncupativa, simultanea duorum testium praesentia sufficiunt, quanquam ad testamentum tempore pestis conditum probabilius jure quoque statutali simultanea testium praesentia ob contagionis periculum remitteretur; eo etiam a fortiori argumento, quod §phus 6. t. 5. l. 2. directe non exprimat, an simultanea testium praesentia requiratur, etiam tempore pestis aut minus.

§. 17. Testamentum parentum inter liberos est privilegiatum, hinc voluntates eorum, quibuscunque indiciis, conjecturis quacunque scriptura manifestatae inter liberos valent. Nov. Const. 107. argumento etiam legis §-pho 4-o t. 5. l. 2-di contentae, ubi id maxime in testamento requiritur, ut illud sit recognitum, hoc est, ut de eo constet, atqui sufficienter recognitum erit patris testamentum, si maxime ipse scribat simul ac subscribat, vel si non scribat, ipse tamen subscribat.

§. 18. Privilegiatum est testamentum militare seu militis, ducis et eorum, qui castra sequuntur militum causa, ut sunt medici, chirurgi etc. si scilicet fiat in actuali conflictu vel saltem in castris, conditum enim extra castra et actualem expeditionem, v. g. in hybernis, omnes solennitates requirit. Inst. Just. l. 2. t. 11. Illud vero, quod in actuali praelio, vel in castris factum est, post obtentam dimissionem non durat ultra annum, l. 38. dig. d. test. mil. Testamentum itaque militis in expeditione bellica scriptum, si sit periculum morae, vel sit miles in actione conflictus respectu formae externae omnibus solennitatibus solutum est, norma Inst. mil. M. Ther. §. 87. ita, ut nuda voluntatis declaratione subsistat, modo constet eum, deliberato animo disposuisse; subcriptio itaque ac subsignatio nulla requiritur, modo constet militem scripsisse; ac valide testatur: si quid in vagina vel gladio litteris,sangvine suo rutilantibus adnotaverit, aut in pulvere adscripserit gladio suo, l. 40. Dig. de test. milit.

§. 19. Privilegiatum est *testamentum pium*, seu ad pias causas factum, in quo scilicet instituitur successor seu haeres locus pius, ut ecclesia, monasterium, vel pauperes etiam consangvinei, non qua consangvinei, sed ex pio motu misericordiae, vel aliqua communitas aut persona ex motivo spectante Dei cultum. Vestigium testamenti talis reperitur §-pho 7-mo t. 6. l. 2. ubi habetur: legata ad res pias in alium usum, quam testator voluit, converti non debere, atque omnium primo praestari debere. Testamentum hoc juxta juris doctorum opiniones regulatur secundum jus naturale, quod in testatore exigit usum rationis, actualem voluntatem, et po-

testatem disponendi; item secundum jus divinum, gentium ac canonicum, quae plus non exigunt, quam ut constet sive ex scheda, per manum testatoris satis agnitam scripta, sive per duos testes, sive per nutum ad interrogationem alterius satis probatum. Quamvis porro corruente propter defectum solennitatis testamento, etiam legata corruant, in his enim accessorium sequitur suum principale, pia tamen legata subsistunt, ut tenet cum canonistis praxis patriae, haec enim sunt specialiter privilegiata, et ideo per se stant, nec sequuntur suum principale utpote, quod non est aequaliter privilegiatum.

§. 20. Testamentis privilegiatis accensenda sunt etiam: testamentum *publicum* seu *principi oblatum*, et *judiciale.* Prius vel fit oretenus coram prrincipe terrae, aut ejus deputato, vel in scripturam redactum et a testatore subscriptum offertur principi aut ejus deputato, cum precibus, ut is illud confirmet, sicque auctoritate ejus muniatur, et valeat l. 19. c. d. test. Judiciale est, quod fit *apud acta*, idest oretenus coram judice aut coram ejus deputatis; vel *ad acta* idest, quod in scripturam redactum et a testatore subscriptum offertur judici aut ejus deputato. Et haec testamenta, nempe publicum et judiciale valent absque omni solennitate, modo sufficienter constet, vel probetur coram principe vel judice fuisse facta, vel iisdem aut deputatis fuisse oblata.

§. 21. Si quis incolarum fundi regii de bonis suis in memorato fundo existentibus, aut etiam de bonis ubicunque in regno habitis, extra hoc regnum condat testamentum, secundum statuta loci in quo degit, sustinetur etiam et vim suam obtinet in hoc regno, l. fin. cod. d. test.

Quod tamen intellige de solennitate extrinseca, si enim solennitate intrinseca caruisset testamentum, illud corruet. Requiritur itaque ad tale testamentum celebratum, ut solennitate in regno, in quo quis testamentum facit, usitata sit provisum, et testamento tali in hoc regno vel fundo regio uti volentes, super emanatione testamenti, consveta in loco peracti testamenti solennitate, authenticas loci illius litteras testimoniales producant.

§. 22. Testamenta, quae non jure facta sunt, ubi scilicet solennia juris desunt, ipso jure nulla sunt, nec rescissione indigent; quae autem jure facta sunt, valent, donec infirmentur, vel ipso jure, quod fit cum rumpuntur, aut irrita fiunt, vel facto hominis, ut inofficiosum rescindentis.

§. 23. Rumpitur testamentum, cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti jus aliunde vitiatur. Inst. Just. l. 2. 13. Jus hoc vitiatur mutata testatoris voluntate, si ipse testator aliud testamentum condat, et hoc priori fuerit contrarium, secus, si alteri non derogat, vel si clausula: utrumque valere, adsit, utrumque subsistet; sed porro necesse est, ut posterius factum sit ex certa scientia, nam si ex errore fuerit factum, prius subsistit, mentis enim certitudo ad testamentum requirebatur. Rumpitur testamentum prius, per posterius, etiamsi priori addidisset testator clausulam derogatoriam (seu eam, qua declarat se nolle, ut posterior sua voluntas, si quam forte condiderit, subsistat), homo enim liber, hoc modo supremum suum arbitrium praecedere non potest. 2) Mutatur voluntas testatoris ratione prioris testamenti, nuda revocatione testamenti, quilibet enim

dum in vivis est, et mentis suae bene compos, potestatem habet priorem sui testamenti sententiam corrigere et immutare, quoniam hominis voluntas ambulatoria est usque ad supremum vitae exitum; nemo etiam eam sibi legem potest dicere, ut a priore testamento ei recedere non liceat. Stat. l. 2. t. 5. §. 4. Denique 3) mutatur voluntas testatoris, si is testamentum prius abolevit, delevit, induxit, superscripsit, et vocatur talis mutatio realis. Sed si nomen unius tantum haeredis sit inductum, reliqui possunt petere haereditatem; requiritur autem, ut cancellatio, deletio, inductio facta sit consulto, quod praesummitur, si testamentum prae manibus testatoris fuerit, secus si in manibus alicujus. Si inconsulto facta sit, aut sit combustum, aut atramento conspersum, quatenus adhuc legi potest, vel extrinsecus contenta probari possunt, subsistet testamentum. Mutata testatoris voluntas praesummitur eo etiam, si haeres occidat testatorem dolose, vel morti occasionem praebuerit, vel denique, si eum infirmum curare neglexerit.

§. 24. Irrita fiunt testamenta, mutato testatoris statu civili, ubi scilicet in eum statum incidit, in quo testamentum valide non condit, ac in eo statu decedat, cujus est, v. g. si in crimen laesae majestatis incurat, vel si in talia quoque crimina incidat, propter quae falsi vel infamiae poena afficeretur, qui enim tali poena gravantur, nec testes in testamentis adhiberi possunt, nec testamenti faciendi jus habent.

§. 25. Inofficiosum testamentum est: quod fit cum exclusione liberorum, contra officia pietatis, atque eorum, quibus de inofficioso agere licet, sunt autem illi praeter liberos, parentes,

etiam fratres et sorores primi gradus. Stat. l. 2. t. 5. §. 11. l. 2. t. 2. §. 9. et hinc enascitur actio seu querela inofficiosi. Quod si tamen, quod evenire potest, liberis aliquid minus legitima portione relictum sit, hoc boni viri arbitratu compensetur, nec occasione minoris quantitatis testamentum rescindatur; quemadmodum etiam id, cum in testamento ambigue aut etiam perperam aliquid scriptum reperietur, benigne et secundum id, quod testatorem voluisse credibile est, judex interpretabitur.

§. 26. Si quid vero solutum sit ex testamento v. g. legatariis, quod postea falsum et inofficiosum vel ruptum apparuerit, repetetur. Ut vero falsitas vel inofficiositas testamenti apparere possit, hinc cautum est, ut judex omnibus, quorum interest petentibus, inspiciendi describendique tabulas testamenti, potestati faciat. L. 2. t. 5. §. 14.

Titulus 7.

De legatis.

§. 1. Legatum quid sit, vide Statutorum l. 2. t. 6. §. 1. Inst. Just. l. 2. t. 20. §. 1. Seu, est res singularis per ultimam testatoris voluntatem relicta, ab haerede universali praestanda. Quaenam itaque sit differentia inter testamentum et legatum, facile apparebit, robur autem habet post mortem legantis, qua eveniente et haereditate adita statim ipso jure et absque praevia ac-

ceptatione transit in legatarium quoad dominium, sub conditione tamen, si ab illo non repudietur, l. 32. ff. d. leg. Non potest tamen legatarius sub poena amissionis propria authoritate occupare legatum, sed exspectare debet donec ipsi tradatur ab haerede, l. 2. t. 6. §. 1. Quodsi tamen haeres in tradendo legato moram fecerit, periculum rei legatae ad ipsum spectabit, nulla autem intelligitur ibi fieri mora, ubi nulla petitio est, ibid. §. 6.

§. 2. In legatis potissimum considerandum: 1) Quae res. 2) Quibus personis. 3) Quo modo. 4) Quo effectu relinquantur. 5) Quando exstingvantur.

§. 3. Quod primum attinet: legari possunt bona immobilia; quodsi tamen testator haeredes habuerit in ascendente vel descendete linea vel collaterali, quibus de inofficioso agere licet, l. 2. t. 5. §. 11. haeredes ipsi hi bona illa immobilia pecunia ad se redimere possunt. Si testator immobilia habuerit, suis servitiis vel industria acquisita, de iis, si haeredes descendentes vel ascendentes vel fratres et sorores non habuerit, liberam disponendi potestatem habet, non obstante ulla suorum consangvineorum contradictione, consequenter etiam legare potest: bona vero mobilia quilibet pro suo arbitrio legare potest, quatenus illi per leges licet, l. 2. t. 5. §. 9.

§. 4. Potest etiam pecunia legari, et si pecunia legata in bonis legantis non sit, solvendo tamen par sit haereditas, haeres pecuniam legatam dare compellitur legatario sive de suo, sive ex venditione rerum haereditariarum, sive undecunque tandem voluerit, l. 2. t. 6. §. 3. Legari possunt debita debitoribus, vel si debitorem remanere vult, diem solutionis praestandae ex suo

arbitrio testator prorogare potest, ibid. §. 4. Si rei proprietas legata sit, cujus usumfructum testator dum vixit, tenuit; mortuo testatore, legatoque non revocato, legatarius rei proprietatem cum usufructu obtinebit.

§. 5. Quaeritur: an res aliena legari possit per testatorem? affirmat imperator. Inst. l. 2. t. 20. §. 4. adeoque haeres cogitur redimere eam et praestare: vel si eam non posset redimere, aestimationem ejus dare, sed si talis sit res, cujus commercium non est, vel adipisci non potest, nec aestimatio ejus debetur, veluti si quis templa, vel quae publico usui destinata sunt, legaverit, nam nullius momenti tale legatum est. Quod res aliena legari possit, ita intelligendum est, si defunctus sciebat alienam rem esse; forsitan enim si ignorasset alienam esse, non legasset; quod probare ad evidentiam legatarii munus erit, non vero haeredis probare ignorasse alienam, quia semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit.

§. 6. Non possunt tales res legari, quae tempore facti testamenti fuere alienae, sed postea ex titulo lucrativo legatarii propriae faetae sunt. Regula enim est: duas causas lucrativas in eandem rem et personam concurrere non posse. Inst. Just. l. 2. t. 20. §. 6. Hac ratione, si ex duobus testamentis eadem res legatario debeatur, interest, utrum rem an aestimationem ex testamento consequutus sit, nam si rem habet, agere non potest, quia habet eam ex causa lucrativa, si aestimationem, agere potest, ibid.

Ea quoque res recte legatur, quae in rerum natura non est, si modo futura est: veluti fructus, qui in illo fundo nati erunt, ibid. §. 7.

§. 7. Quibus personis possunt legari? regula est: legari potest omnibus, cum quibus est testamenti factio passiva, ibid. §. 24. hoc est, ut ii ex testamento capere possint. Possunt legari res ad usus pios v. g. ecclesiae, monasterio etc. et etiam reipublicae, quae legata per sanctionem legis, omnium primo praestari debent, legata vero ad res pias, in alium usum, quam testator voluit converti non debent, l. 2. t. 6. §. 7. Stat. et art. 54. anni 1791, ubi habetur: quod ex benignitate principis piae fundationes ad mentem ac intentionem fundatorum administrabuntur, et cum fundationibus aliarum religionum non commiscebuntur, salvo circa illas superinspectionis jure majestati regiae competente.

§. 8. Quomodo legari possint res? notari oportet: ad formam modumque legati nihil requiritur, nisi bene declarata voluntas legantis seu testatoris. Hinc, nec falsum nomen falsave causa aut demonstratio aut neglectus scripturae ordo legatum vitiat, v. g. Si testator in nomine, cognomine, praenomine legatarii erraverit, cum de persona constat, nihilominus valet legatum, quod etiam in haeredibus attendi vel servari potest, et recte, nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur nihil interest. Inst. Just. l. 2. t. 20. §. 29. Nec falsa demonstratione perimitur legatum, veluti si quis ita legaverit: Stichum servum, quem a Sejo emi, do, lego, sitque ab alio emtus, tamen stat legatum, si de servo constat. Longe magis legato adjuncta falsa causa non nocet: veluti cum quis ita dixerit: Titio, quia me absente negotia mea curavit do, lego, villam N. licet enim negotia testatoris nunquam gesserit, legatum tamen valet; sed si con-

ditionaliter enunciata fuerit causa, aliud juris est, veluti hoc modo: Titio si negotia mea curaverit, fundum meum do, lego, ibid. §. 30, 31. Quod neglectum scripturae ordinem concernit: imperator incivile esse putavit, scripturae ordinem quidem sequi, sperni autem testatoris voluntatem, quod vitium ideo emendavit, ita, ut liceat et ante haeredis institutionem, et inter medias haeredis institutiones legatum relinquere, ibid. §. 34. Hinc sive etiam poenae nomine sive post mortem haeredis vel legatarii sit legatum relictum valet, ibid.

§. 9. Nec refert, an in genere aut in specie relinquatur, dummodo nimia generalitas non faciat deridiculum legatum. In generis legato electio est legatarii, nisi aliud testator voluerit, unde et legatum electionis dicitur, quod differt a legato optionis, quae optio si legata sit, potest eligere legatarius optimum, non vero is, cui genus legatum est.

§. 10. Ad effectum legati pertinet regula: nomine legati et in personam haeredis et in res defuncti agi potest. Actio in personam haeredis est ex testamento, quae nascitur ex quasi—contractu haeredis adeuntis, adversus eundem ad praestandam rem legatam, In rem autem agitur legati nomine, vel rei vindicatione, vel actione hypothecaria, rei vindicatio datur domino, legatarius autem dominium mortuo testatore ipse jure accipit, ideoque rem a quocunque possessore recte vindicat. Hypothecaria actio datur creditori ad persequendum pignus adeoque et legatario ad persequendas res haereditarias, quae omnes legati nomine tacite, atque ipso jure ei sunt pignori obligatae, ff. 30, 31, 32.

§. 11. Legata quando exstingvuntur? legata saepe exstingvuntur, adimuntur, transferuntur. Exstingvitur legatum: 1) Cum legatarius ante testatorem moritur. 2) Si res legata pereat, sine tamen culpa haeredis, Stat. l. 2. t. 6. §. 6. ubi habetur: si res legata sine facto haeredis perierit, legatario decedit. Cum res ex alia causa lucrativa ad legatarium pervenit, §. 6. h. t. 4) Defectu conditionis. 5) Si testamentum ruptum irritumve sit, est enim legatum accessorium testamenti, accessorium vero sequitur suum principale. 6) Si aes alienum relictum vires haereditatis superet, legata enim non debentur, nisi deducto aere alieno haereditatis vires ad id sufficiant, l. 2. t. 6. §. 1.

Non exstingvitur autem in eo casu, si quis ultra vires haereditatis legaverit, mortuo enim testatore, hoc tantum praestatur, quod invenitur, ibid, §. 3. illud tantum autem citata lege non esse determinatum reperio.

§. 12. Adimuntur legata vel ipso jure, vel ope exceptionis, ipso jure, cum testator voluntatem suam mutat, ambulatoria enim est hominis voluntas, ad extremum vitae habitum usque. De qua voluutatis mutatione vide §. 24. tit. praeced. 6. Si autem testator non revocaverit, etiam mortuo legatario non adimitur legatum, sed ad haeredes ipsius transibit, l. 2. t. 6. §. 5. Ope exceptionis: adimitur legatum si quid contigerit, ob quod ademtio praesummi debeat, ut, si inimicitiae capitales intervenerint; quae vero libertas est testatoris in adimendo, eadem etiam est in transferendo transmutandoque.

Titulus 8.

De successione ab intestato in genere.

§. 1. Si quis intestatus decedat, succedent in bonis ejus ii, quibus lex successionem defert, qualis successio legalis et ab intestato audit, unde deficiente successione testamentaria, obtinet successio ab intestato.

§. 2. In omni successione ab intestato tria haec considerantur: 1) Persona successoris. 2) Ordo. 3) Modus succedendi, seu quis? quo ordine? et quo modo? succedat. Neque enim promiscue omnes et singuli cognati vocantur ad successionem defuncti, sed quidam eodem tempore, caeteris neglectis, qualem successionem regula legis determinat, atque haec regula, secundum quam uni ex pluribus haereditas deferri solet, vocatur *ordo succedendi.* Sed porro neque eadem in quantitate capiunt successores haereditatem, atque regula quantitatem haereditatis ab intestato adquirendae determinans audit *modus succedendi*, modus is est triplex: 1) Successio fit in capita, ubi successores portiones viriles seu aequales capiunt. 2) Succeditur in stirpem, ubi successores eam portionem capiunt, quam praedefunctus eorum ascendens accepturus fuisset, si supervixisset, l. 2. t. 2. §. 1. Successio fit in lineam s. genus: quando successores eam portionem accipiunt, quam praedefunctus eorum descendens accepisset ex haereditate proxime defuncti.

§. 3. Est autem successio ab intestato: jus apprehendendi, persequendi et possidendi res et haereditates universas defuncti, aut: est legitima substantiae a defuncto relictae per haeredem legitimum apprehensio.

§. 4. Quid vero sit haereditas tam objective, quam subjective, vide tit. 5. h. l. Is, qui in universum jus succedit, haeres dicitur.

Titulus 9.

De successione ab intestato ordinaria.

§. 1. Ordinario jure ad successionem defuncti vocantur: 1) Descendentes. 2) His deficientibus ascendentes. 3) Nec his existentibus demum collaterales; atque talis ordo succedendi constituitur, l. 2. t. 2. §. 1. 6. 10. 12. Stat. Datur etiam successio conjugum, viduarum, sed de harum successione agetur in successione ascendentium.

Sectio 1.

De successione descendentium.

§. 2. Descendentium nomine intelliguntur liberi, sed naturales simul et legitimi, adeoque veri haeredes, et hi ad successionem vocantur, l. 2. t. 2. §. 1. Non secus etiam legitimati per subsequens matrimonium, ibid.

§. 3. Itaque patre et matre defunctis, liberi legitimi filii et filiae simul, in omnibus bonis mobilibus et immobilibus succedunt, et si quem ex istis descendentibus scilicet filiis et filiabus mori contingat relictis liberis, illius defuncti liberi in parentum locum succedunt in stirpem, nimirum: tam magnam ex haereditate defuncti portionem percepturi, quantam eorum parens adeptus fuisset, si supervixisset; utuntur itaque nepotes et neptes jure repraesentationis parentum suorum.

§. 4. Non solum liberi legitimi, sed et illi, qui ante contractum quidem matrimonium progeniti sunt, verumtamen per matrimonium subsequens legitimati sunt, succedunt ab intestato parentibus una cum aliis legitimis, l. 2. t. 2. § 2. Eruditus Reisznerus nult praetereundum esse, in nonnullis locis hoc observari: ut liberi legimandi, si aetas ipsorum id ipsum ferat, matri quam proxime in ipsa copula sacerdotali adstent, eamque vestitu teneant, unde subinde dici solent Mantel-Kinder, ast hoc fit magis solennitatis ergo.

§. 5. Quae de legitimatis per subsequens matrimonium dicta sunt, ea multo magis obtinent in praecocibus, hi enim jure novo pro legitime natis habentur, l. 11. c. d. nat. lib. consequenter non habent opus legitimatione secundaria, quippe citato jure, satis est ad consequendos legitimos natales nasci in matrimonio licet non nascatur ex matrimonio.

§. 6. Quaeri potest hoc in loco, an posthumi (nach des Vaters Tod gebohren) iique, qui vita functi sunt, successionem habere possint in bonis parentis? distingvendum est: posthumi hi aut vivi nati sunt, et cum spiritu editi, aut minus, hi non succedunt, quod enim vulgo di-

citur: ut liberi succedere valeant, sufficere, si in utero sint, id eatenus verum est, quatenus postea vivi ad orbem processerint. Illi autem, qui vivi quidem nati, sed postea demortui sunt succedunt et haereditatem iterum transmittunt, l. 2. t. 2. §. 3. ubi habetur: quodsi mulier legitima foetum enixa fuerit, qui in partu moritur; si foetus ediderit vagitum, dum ex alvo matris egreditur, qui vagitus intra quatuor angulos domus exaudiri potest, pro enixo vivo homine et haereditatis capace reputatur, haereditatisque partem, quam acciperet per matrem, relinquit matri suae.

§. 7. Hanc legis dispositionem de vagitu, intra quatuor domus angulos exaudiendo, non esse tam stricte accipiendam, ut si vita foetus vel partus alicujus ex aliis signis, puta motu corporis, pedum, brachiorum, anhelitu et similibus deprehendatur, nec tamen pro enixo vivo homine reputetur, siquidem verbis illis: clamorem foetus intra quatuor angulos domus exaudiri debere, magis declaratio ac demonstratio rei continetur, quae declaratio non requiritur, si per alium modum rei demonstratae habemus notitiam. Jus saxonicum his verbis voluit denotare, quod vocaret partum vivum, cujus vox intra quatuor aedium parietes sonaret, ut hoc magis ad meliorem probationem, quam ad essentiam requiratur; quia emissio vocis indicium vitae certissimum esset.

§. 8. Videamus etiam de successione illorum, qui illegitimi sunt, seu qui extra matrimonium ex illicito coitu nati sunt, quorum alii sunt spurii vel vulgo quaesiti, alii ex damnato incestuoso concubitu, alii ex adulterii complexibus nati, l. 2. t. 2. § 4. Spurii vel vulgo

quaesiti, quoniam hi patrem habere non intelliguntur, cum is incertus sit, matri solummodo succedunt, non obstante contradictione legitimorum fors existentium, succedunt et ascendentibus lineae maternae aviae vel avo materno, et hoc procedit ideo, quod horum mater nunquam incerta esse possit; nati autem ex incestuoso concubitu et ex adulterio neque ad successionem patris, neque matris admittuntur, de aequitate tamen canonica debentur illis alimenta, liberorum enim educatio est juris naturae, ibid. praeterea, hi qui ex tali damnato coitu nascuntur, patrem certum habere possunt.

§. 9. Spuriis ab intestato defunctis succedunt legitimi descendentes, sin autem descendentes non relinquant, ascendentes, illi, quibus ipsi spurii succedere potuissent, succedunt. Si neque descendentes, neque ascendentes reliquerint, cognatorum primi ex latere materno ad haereditatem vocantur, et si matrem spurius defunctus non reliquerit, sed fratres et sorores uterinas, hi etiae omnibus aliis ex transverso cognatis praeferuntur, ibid. §. 5.

§. 10. Praeter spurios s. vulgo quaesitos, sunt adhuc alii, qui nomine liberorum naturalium insigniuntur, suntque ii, qui ex concubina nascuntur, adeoque patrem certum habent. Hi jure Justinianeo exstantibus liberis legitimis vel conjuge legitima a successione paterna excludebantur, salvis tamen alimentis arbitratu boni viri (judicis) secundum patrimonii vires praestandis, si vero pater talis naturalis nec uxorem, nec liberos legitimos reliquit, tunc ei succedebant naturales liberi in duas uncias, inter naturales et matrem eorum dividendas. Illustris Reiszner legum statutalium commentator retur:

hanc imperatoris constitutionem valere in jure quoque transsilvanico saxonico, ratione motus illa, quia ubi loca statutalia silerent, ibi rem quamcunque dispositioni juris caesarei (imperatorii) reliquisse intelligitur. Porro in favorem naturalium tantum liberorum, hoc etiam e jure peti posse videtur argumentum: spurii eam ob rationem non succedunt patri, quia non intelliguntur habere, non intelliguntur autem habere, quia incertus est, l. 2. t. 2. §. 4. Jam si certus esset pater vel esse posset quocunque modo, ita intelligerentur habere patrem, consequenter successionem etiam possent petere, saltem in defectu liberorum legitimorum; atqui naturales tantum intelliguntur habere patrem, quia certus est, et id tantum in defectu esse posset, quod extra matrimonium nati, et nec legitimati fuissent per subsequens matrimonium. Hinc sequitur: naturales tantum etiam habere posse successionem, non existentibus legitimis liberis et uxore, quod de jure imperatorio valet, etc.

Sectio 2.

De successione ascendentium.

§. 11. Successio haec non fit ex jure repraesentationis, quod jus inter ascendentes contra naturam esset, dum pater filium repraesentaret.

§. 12. Si defunctus descendentes non relinquat, ascendentes, qui gradu proximi sunt, omnibus ex transverso cognatis praeferuntur. Notandum hoc loco est: jure veteri saxonico dubiam fuisse quaestionem: an cum patre etiam mater

vocetur ad successionem defuncti descendentis? Hodie tamen extra dubium positum est, matrem cum patre simul admitti ad successionem, adeoque per ascendentes gradus proximioris non tantum patres verum etiam matres intelligi debere, quandoquidem jure statutali uxor cum omnibus suis rebus et bonis in potestatem mariti dum transit, etiam in communionem corporis convenit, adeoque una quasi caro efficitur, l. 2. t. 4. §. 1.

§. 13. Quodsi defunctus post se relinquat patrem vel matrem, simul etiam fratres et sorores, qui cum patre vel matre viduo vel vidua in bonis indivisis sedent, hi omnes simul defuncto ab intestato succedunt, habita autem divisione bonorum inter parentes et filios, et mortuo aliquo filiorum, parentes succedunt, exclusis fratribus et sororibus, ibid.

§. 14. Jus patrium saxonicum ascendentes utriusque lineae, secundum gradus praerogativam ad successionem ab intestato vocat. Hinc si defunctus descendentes non habuerit praeter quam ascendentes, avum paternum simul etiam avum maternum, duo illi avi ab utraque linea ad haereditatem admittuntur, ita, ut avus paternus in quaesitis ex linea paterna, avus maternus in quaesitis ex linea materna defuncto succedant, hoc est, avi paterni in besse, avi materni in triente bonorum relictorum, ibid. §. 7.

§. 15 Siquis moritur intestatus, post se avum paternum et fratrem uterinum relinquens, tam avus paternus, quam vero frater uterinus succedunt in haereditatem defuncti, quisque ex sua linea, videlicet, avus paternus ex paterna et uterinus frater ex materna linea; relinquens post se avum maternum et fratrem consangvineum,

avus maternus ex materna et frater consangvineus ex paterna linea succedent in haereditatem scilicet defuncti descendentis, ibid. 8.

Sectio 3.

De successione collateralium.

§. 16. Fratres et sorores non exstantibus descendentibus et ascendentibus defuncto succedunt, et excludunt liberos fratrum et sororum suarum, ibid. §. 9. combinate cum §-pho 12-mo, liberi enim fratrum suorum juxta, §. 11 t. 5. l. 2-di tanquam qui sunt cognati ultra fratrem, optinendi spem non habent. Hinc videre est in successione hac collateralium liberos non uti repraesentatione suorum parentum, excludunt enim fratres et sorores liberos fratrum et sororum suorum, uti dictum est, adeoque repraesentatio parentum habet locum solum in linea descendentium.

§. 17. Siquis moritur intestatus, non relinquens post se ascendentes neque descendentes, nisi fratres et sorores, consangvinei succedunt defuncto in linea paterna et fratres uterini in linea materna. Quod si vero defunctus reliquat post se fratres vel sorores utrinque conjunctos, simul etiam fratres vel sorores ab altero tantum parente junctos, hi cum fratribus vel sororibus utrinque conjunctis, succedunt in ea duntaxat parte, qua defuncto conjuncti fuerunt, hoc est, si a patre tunc in paternis, si vero a matre, in maternis.

§. 18. Moritur quis intestatus, habens ex altero tantum parente conjunctos fratres, puta consangvineos et simul avunculos, fratres consangvinei succedunt ei in bessem a patre, avunculi in trientem a matre in ipsum devolutum, sic e contra: fratres uterini in trientem, patrui vero, deficientibus consangvineis fratribus in bessem paternum succedunt, sine bonorum confusione.

§. 19. Si defunctus neque descendentes neque ascendentes habuerit, nec fratres aut sorores, tunc ad successionem vocantur fratrum et sororum liberi, qui defuncto in stirpem succedunt, hoc est quisque eorum, tantam portionem capit ex haereditate, quantam parens eorum adeptus esset, si supervixisset. Post hos autem, scilicet post fratrum et sororum liberos, illae personae vocantur ad successionem defuncti, quae proximiorem gradum cognationis obtinent, ita ut proximiores remotioribus praeferantur, et qui sunt ejusdem gradus, omnibus aequaliter competat haereditas, et in capita succedant. E. c. Defunctus A. non habet ascendentes, non descendentes, neque fratres et sorores, quia B. et C. demortui sunt, succedunt ergo D. et E. liberi ipsorum B. et C. si neque D. et E. existerent tunc F. et G. succederent. Jam si G. defecisset, relinquens post se quidem R, R. una cum F. non succederet defuncto A, quia F. proximiorem gradum habet cognationis ad A, quam R.

A -B- -C-
def. | |
D E
| |
F G
|
R

Sectio 4.

De obligatione haeredum.

§. 20. Haereditatem testamento delatam adire nemo cogitur, quia aditio est liberae voluntatis, est autem aditio: declaratio voluntatis de haereditate adeunda ac accipienda. Declaratur haec voluntas expresse vel tacite, tacite seu factis concludentibus, ubi quis ea facit, quae a nullo alio quam haerede fieri possunt. Requiritur tamen ad hanc aditionem, ut is, qui adit, semet obligare possit, hinc pupilli, mentecapti, furiosi adire per se non possunt, per tutores nisi et curatores.

§. 21. Effectus jam haereditatis aditae est successio in universum jus atque obligationes ipsius defuncti, qualis successio unitatem parit personae inter haeredem et defunctum, tam quoad jura morte defuncti non exstincta, sed in haeredes transmitti solita, quam quoad obligationes, hoc est quoad incommoda et onera bonis inhaerentia subportanda; et hoc ideo, quia successio vadit cum onere, qui enim sentire vult lucrum, sentiat et onus oportet, l. 2. t. 3. §. 5. Non tamen ultra vires aditae haereditatis tenetur haeres, tantum enim quivis intuitu tertii praestare, dare tenetur, quantum ab illo accepit, nisi consensit in plus dandum, qualis consensus expressus est vel tacitus, tacitus hic consensus ex sola haereditatis aditione concludi nequit, ita tamen tunc, ubi a creditoribus admonitus ne bona debitoris debitis minora adiret, haere-

ditatem non cessit creditoribus, hoc in casu in plus solvendum tacite consentiendo, omnia haereditatis onera sufferre obligatur haeres; vel si haeres postquam adierit haereditatem, aut sese inmiscuerit, inventarium facere intra certum tempus (triginta scilicet dierum) neglexerit super rebus illis, quas defunctus mortis tempore habebat, l. 3. t. 3. §. 5. item si quis post petitam deliberationem vel pro haerede se gesserit, aut non recusaverit haereditatem, omnibus haereditariis oneribus in solidum tenentur, ibid.

§. 22. Alter effectus aditae haereditatis erat, obligatio haeredis, voluntatem defuncti ad effectum deducendi, ratione legatorum, fidei commissorum ac aliarum rerum, modo quae mandantur, honesta et possibilia sint. Obligatio haec descendit ex quasi-contractu, leges enim praesummunt haeredem adeundo haereditatem consensisse in praestationem obligationum, cum a testatore satis declaratum sit, se haeredi hoc et hoc onus velle injungere etc.

Titulus 10.

De successione ab intestato extraordinaria.

§. 1. Deficientibns haeredibus legitimis descendentibus, ascendentibus, collateralibus ac testamentariis, lex successionem defert: fisco civitatis vel oppidi, legioni, domino terrestri, ecclesiae, denique fisco principis.

§. 2. Fiscus civitatis vel oppidi succedit in bonis civis seu saxonis in semine utriusque sexus deficientis ac ab intestato decedentis, l. 2. t. 2. §. 13.

§. 3. Milite in semine deficiente ac intestate decedente, in bonis ejus iisque mobilibns suecedit legio, in immobilibus fiscus civitatis.

§. 4. Dominus terrestris succedit in bonis universis coloni intestati ac in semine deficientis, Decr. Trip. Verböcz. p. 3-ae t. 30. Consequenter si colonus aliquis, in communitatibus illis, quas inclyta natio saxonica in qualitate bonorum nobilitarium sub nomine bonorum septem judicum possidet, hac luce ab intestato et sine semine deficeret, tunc illi, natio, veluti dominus terrestris succedit, hoc postulantibus juribus domini terrestris, atqui inclytam nationem saxonicam, respectu talium modo denominatorum bonorum dominum terestrem esse, quis negaret? contra clarissimum regium decretum anno 1800 26-ta junii editum.

§. 5. Ecclesia succedit in bonis haereditariis personae ecclesiasticae intestate ac in semine deficientis, decreto regio 2-da sept., anno 1782, nro aulico 7131 emanato id exposcente, quod sic sonat: In ordine ad informationem ejusdem r. gubernii, intuitu regulationis quoad haereditates parochorum ab intestato decedentium stabiliendae sub 25-a superius memorati julii submissam opinionem episcopi transsilvaniensis, cui idem regium gubernium suo quoque voto adstipulari haud dubitavit, omnino approbari, hujusque in conformitate haereditates ejuscemodi parochorum ab intestato decedentium juxta ipsiusmet etiam legis municipalis Apr. Const. p. 1-ae t. 6. art. 2-di dictamen, ecclesiis, quibus illi vita durante serviverunt, addicendas esse. Hoc decretum regium publicari fecit excelsum regium gubernium etiam in natione saxonica, de-

creto suo, eodem anno sub nro 7131 emanato, subscribente inter reliquos etiam illustr. l. b. Michaële de Brukenthal, tunc secretario guberniali. Notandum: defectus seminis in privato quocunque transsilvano saxone intelligi debet in utroque sexu, respectu videlicet bonorum in fundo regio possessorum.

§. 6. Fiscus denique principis succedit in bonis damnatorum criminis laesae majestatis, damnati enim tales simul et vita et bona amittunt. Stat. l. 4. t. 8. §. 2. Equidem §-pho hocce statutali non exprimitur directe et clare successio fisci principis, id tamen sana legis interpretatio evincit, justum enim est, ut contra quem peccatur, poenae quoque objectum illi tradatur, eo a fortiori argumento: quod fisco civitatis tantum intestatorum, et in semine deficientium bona solent vindicari. Stat. l. 2. t. 2. §. 13.

Titulus 11.

De divisione in genere.

§. 1. Divisio, quae inter modos civiles adquirendi dominii refertur, est: rerum ac bonorum post mortem alicujus relictorum, inter plures jure condominii gaudentes, pro ratione juris cujuslibet, facta partitio.

§. 2. Est triplex divisio haec, nempe, primaeva, nova, rectificata. Illa, scilicet primaeva est: quae primum instituitur in rebus ac bonis a defuncto derelictis, ista est: quae propter errorem substantialem primaevae divisionis commissum instituitur, atque priorem tollit; haec,

est, quae celebratur propter errorem primaevae divisionis minus substantialem, non tollens priorem divisionem, tantummodo corrigens. Rectificatae divisionis vestigium reperio in paragrapho 16-to t. 4. libri Stat. 2-di, ubi habetur: quod etiam majoribus (ad actatem majorem pervenientibus) intra unius anni integri spatium subveniri soleat, si divisio per fraudem, hoc est, vel per dolum, vel perperam sine judicio facta exstiterit etc. perperam, hoc est, non jure sive injuria, sine judicio, hoc est, ex inscitia. Vide ord. i. univ. de anno 1816 nro 211, quae locum istum statutalem attingit.

Titulus 12.

De divisione bonorum inter parentes et filios eorum.

§. 1. Materia haecce tractatur in codice jurium statutalium libri secundi titulo 4-to, qui titulus sequentes indigitabit materias, scilicet, communionem rerum ac bonorum inter conjuges, tempus divisionis, modum divisionis, poenam cohaeredis expilantis, sumptus nuptiales et studiorum.

§. 2. De communione rerum ac bonorum inter conjuges habetur, hoc, quod maritus et uxor per ipsum matrimonium in communionem uti corporum, ita etiam omnium rerum conveniunt, unde deducit per consequentiam: merito optimam et aequam consvetudinem esse, ut maritus et uxor suis facultatibus, in quarum com-

munionem per matrimonium et allaturam bonorum ac rerum jam venerunt, mutuo cum liberis suis ad communem vitae necessitatem fruantur. Illud etiam in hoc §pho adjungitur, usu receptum esse: ut ex universis bonis (in communionem ductis) bes ad maritum, triens ad uxorem pertineat, omni dotis jure cessante. Hoc est: si uxorem mori contingat, tunc maritus viduus e bonis bessem pro se habebit, trientem vero habebunt uxoris defunctae successores, et vice versa etc.

§. 3. Duae hac in materia se offerunt quaestiones: una earum est: quidnam sit illud, quod communionem hanc bonorum efficiat, vi cujus communionis viduo duas partes viduae autem tertiam partem dari oporteat? Altera est: Num bes per viduam vel per viduae successores mariti sui defuncti successoribus exsolvi, vel vero exscindi e bonis debeat? Nihil enim de hac specialiori quaestiuncula statutum in legibus saxonicae nationis invenitur.

§. 4. Quod adtinet priorem quaestionem: audivi a juris studiosis non una vice, quod communionem bonorum efficiat existentia liberorum. Fuerunt tales quoque, qui crederent per actum mortis enasci communionem hanc bonorum, consequenter dum maritus et uxor in vivis sunt, communioni bonorum locum non esse. Sufficiat scire id, quod lex ipsa de hac materia sonans dictat: videlicet, quod maritus et uxor matrimonio ipso in communionem corporum et etiam in communionem bonorum et rerum omnium conveniunt, l. 2. t. 4. §. 1. adeoque existentia bonorum et rerum requiritur ad communionem bonorum efficiendam, secus, si bona et res deerunt, communio seu commixtio bonorum fieri nequit, non entis enim nullae sunt affectiones.

§. 5. De posteriore quaestione tenendum est: comitem magnificum quondam Josephum Gyulai (qui sororem habuit germanam Catharinam Gyulai, quae nubens l. b. Gabrieli Alvinczi, peperit Gabrielem Alvinczi 2-dum, qui duxit comitissam Catharinam Teleki, et qui mortuus fatam comitissam reliquit viduam) litem movisse contra comitissam Catharinam Teleki ratione extradandi bessis mariti sui defuncti, e bonis civicis Claudiopolitanis; is enim erat propinquior successor ad bessem defuncti Gabrielis Alvinczi 2-di, et posteaquam causa haec ad thronum principis delata fuisset, decretum ibi est, ut bes e bonis in libera regiaque civitate Claudiopolitana per mortem l. b. Gabrielis Alvinczi 2-di absque haeredibus decedentis remansis una cum usu fructu exsolvatur. Viennae 21-a sept. 1801. Jamque quoniam regia civitas Claudiopolis eadem legis dispositione quoad successionem in bonis civicis utatur, qua etiam inclyta natio saxonica, puto: decisionem hanc altissimam ad casum se se exerentem trahi posse, salva tamen aliorum hac in parte opinione.

De tempore divisionis.

§. 6. Post mortem matris, liberos legitimos post se relinquentis, pater filiorum horum intra mensem vel alterum a die obitus suae conjugis, divisionem institui curet inter se et filios suos matre orbatos. Si pater vir gravis fuerit ac morae suae certas habuerit causas, tertius etiam a lege additur illi mensis, sine tamen liberorum damno. Quodsi nec intra tertium mensem divisionem peregerit, a senatu florenis viginti quinque mulctabitur, l. 2. t. 4 §. 2.

§. 7. Decedente vero patre seu marito, ac filiis cum uxore vidua superstites existentibus, mater filiorum intra mensem post obitum mariti sui, divisionem se inter et filios patre orbatos peragere non intermittat. Si vero mater profusionis et alienationis non sit suspecta, et morae suae justas habeat causas, conceditur illi a lege etiam secundus mensis, intra quem si dividere cum liberis neglexerit, a senatu viginti quinque florenis mulctabitur, ibid. §. 5. Sed cui hi viginti quinque floreni cedent? Antea fororum judices et divisores percipiebant, sed nunc cassae allodiali, quemadmodum aliae quaelibet judiciales poenae, cedunt.

De modo divisiois.

§. 8. Si moritur mater liberorum legitimorum, pater filiorum convocabit consangvineos vel cognatos suae defunctae conjugis, una cum ordinariis divisoribus, quorum in praesentia liberis tam de mobilibus, quam immobilibus bonis trientem totius haereditititatis jure et consvetudine in eos devolutum extradabit.

§. 9. Si pater (viduus) duas domos habuerit (separatas fortassis), inibitur singularum aestimatio, et alterutrius eligendae potestas relinquatur patri, alteram vero ratione trientis cedet liberis. Quodsi domus illius, quam pater sibi retinuit, aestimatio excedat bessem, pater residuum pecunia persolvet liberis suis, ad quod et liberi tenentur, si domus plus triente valebit. Si unica tantum domus fuerit, in qua maritus cum uxore habitabat, in divisione aestimabitur, filiisque trientis materni pecuniam numerare, domumque pro se integram reservare poterit, ibid. §. 4.

§. 10. Si vir mortua priore uxore, ex qua liberos habet, alteram duxit, et sine liberis ex ea decesserit, si aedes ita capaces fuerint, mulieri habitatio, dum ad alias nuptias transeat debebitur, quae si iterum nupserit aut mortua fuerit, portio illa domus ad liberos prioris matrimonii pro pecuniae solutione redibit, bonorum virorum arbitratu aestimatione facta.

§. 11. Si mater e vivis excesserit, quoad liberi matrimonio se copulaverint, trientis proprietas ad liberos, ususfructus vero ad patrem spectabit, ita tamen ut ex usufructu necessarias in eundem trientem structuras et impensas faciat, et conservet, mortuo vero patre, bessis filiorum ususfructus non acquiretur matri, sed cum proprietate consolidabitur, l. 2. t. 4. §. 13. Hinc puto: matres rationi esse obnoxias, quoad usumfructum bessis filiorum, quia usumfructum cum proprietate consolidari debere dicit lex statutalis.

§. 12. Si moritur pater seu maritus, mater filiorum relictorum (liberorum relictorum) convocabit propinquos defuncti mariti et ordinarios divisores, quorum in praesentia liberis integrum bessem, hoc est, duas partes universae haereditatis dabit, qua divisionis occasione, si duae domus fuerint, alterius electio penes liberos erit, altera matri cedet. Quodsi plures fuerint domus, aut praeter domos alii etiam fundi in haereditate, puta vineae, prata, horti et piscinae, prima semper optio penes liberos erit, secunda vero matris, sic, ut e quinque fundis liberis tres, matri duo cedant, et sic deinceps, ex agris autem matri triens, et liberis bes dabitur, quem ipsi liberi in capita divident, idem

a patre in trientis cum liberis suis divisione observabitur, optione tamen patri reservata, §. 5 6.

§. 13. Quodsi unica fuerit domus, matri tertia pars ejus pro habitatione assignabitur perpetua, sive transeat ad secundas nuptias sive non, si tamen domus citra damnum dividi possit, quod cognoscere senatus erit. Si vero transierit ad secundas nuptias, liberosque susceperit, portio illa domus, quae scilicet pro habitatione assignata erat, ad solos liberos ex priore matrimonii aestimatione facta redibit, qui liberi vitrico et liberis ex secundis nuptiis suas portiones persolvent. §. 7.

§. 14. Si moritur maritus (pater) uxorem et liberos relinquens, qui liberi septimum aetatis annum nondum excesserunt, eo in casu, in divisione haereditatis, pro alimentis liberorum matri assignandis observabitur haec ratio, ut nomine annuae prolis floreni septem, bimae sex, trimae quinque, quadrimae quatuor, quinquennalis tres, sexennalis duo, et septemnalis unus numeretur e communi liberorum besse, et quidem in pecunia. Quodsi vero unum eorum liberorum talium vel plures tempore intermedio decedere contingat, pars pecuniarum, quarum dies nondum cessit, hoc est, das unverdiente Zucht-Geld, bessi cohaeredum accrescet, l. 2. t. 4. §. 10.

§. 15 Parentibus defunctis, si supersit una domus, simul etiam fundus extra urbem, uti vineae vel prata, in civitatibus juniori haeredi cedit domus paterna, alteri fundus, in oppidis vero et pagis domus quidem juniori tribuitur, fundus autem in aequas partes dividitur, propterea, quia inde proveniant alimenta eorum, §. 9.

§. 16. In haereditatis divisione, aedes paternae attribuuntur juniori filio, filiis non exstantibus, juniori filiae ab eodem patre progenitis, atque ille, qui aedes paternas retinebit, reliquis cohaeredibus portiones illorum juxta aestimationem exsolvet; sin vero haeres junior aut noluerit redimere divisionis tempore aedes, aut ex inopia non potuerit, is, qui illi est aetate proximus, habebit redimendi potestatem, ita ut masculi semper praeferantur foemellis; si vero hic mortem obierit, frater proximus ab eo, secundum gradus praerogativam, ad possessionem domus admittetur, reliquis cohaeredibus et matri portionibus eorum exsolutis, juxta aestimationem pro temporis ratione faciendam, neque illi obstabit, quod antea portionis suae legitimae pecuniam perceperit, §. 11.

Sumtus nuptiales et ad studia facti.

§. 17. Parentibus defunctis, si liberi eorum haereditatem dividere voluerint, earum etiam rerum habenda est ratio, quas quidam e cohaeredibus liberis ex communi massa ad nuptias, vestes, studia et similia adsumserunt, vel deteriores reddiderunt, earumque rerum caeteris indemnitas praestanda est, nisi parentes in testamento de iis aliquid caverint, §. 14.

§. 18. Quae autem pater filiis studiorum causa peregre agentibus subministravit, si non animo credendo misisse pater fuerit comprobatus, sed pietate debita ductus, tunc non patitur aequitas, ut illud in rationem portionis compute-

tur, quae portio ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, §. 15.

§. 19. Notandum est hoc etiam: quod ubi inter duos cohaeredes dividenda erit haereditas, senior dividit, junior vero eligit, illi enim jus eligendi competit, §. 17.

§. 20. Quae sit poena illius, qui tempore divisionis dolo malo occultaverit e massa dividenda, vide l. 2-di, tituli 4-ti, §-phum 12-mum.

§. 21. Agendum esse posset hoc titulo etiam de donatione praerogativa, sed de hac materia videre poteris opusculi hujus libri 1-mi tit. 5-tum.



LIBER TERTIUS.

DE JURE AD REM.

Hactenus de jure in re, sequitur jus ad rem, quod cum sit: facultas competens ad personam, ut haec aliquid dare vel facere teneatur, illud nascitur ex obligatione personae, hinc

---

Titulus 1.

De obligationibus in genere.

§. 1. Obligatio definitur: quod sit juris vinculum, quo, necessitate adstringimur ad aliquid praestandum, eaque docendi causa potest statui triplex: naturalis, civilis et mixta. Naturalis est, quae ex mera aequitate naturali nascitur, civilis est vinculum meri juris civilis, estque alia plenior effectu, alia minus plena, plenior est, quae parit actionem et exactionem, uti obligatio ex re judicata, ex jurejurando, ex confessione in jure, et ex literarum obligatione. Minus plena est, quae stricto quidem jure civi-

li actionem parit, sed quae exceptione elidi et facile inutilis fieri potest, uti obligatio ex negotio metu, errore dolove gesto aut ex alio nata. Mixta obligatio est, vinculum juris naturalis et civilis, actionem et omnes alios effectus producens.

De contractibus.

§. 2. Contractus, est conventio duorum vel plurium in idem placitum, per se obligationem civilem producens, estque nominatus vel innominatus, nominatus est, qui habet certum nomen, quod signum est certae formae et actionis, innominatus, qui non habet certum nomen, adeoque nec formam aut actionem certam.

§. 3. Contractus innominati ad haec quatuor genera revocantur: 1) Do ut des. 2) Do ut facias. 3) Facio ut des. 4) Facio ut facias. Differentia inter nominatos contractus et innominatos non tantum est in nomine, forma et actione, sed etiam maxime in effectu, seu obligatione, nam perfecto contractu nominato, statim utrinque nascitur obligatio, nec ulli contrahentium licet a placitis recedere; in contractu vero innominato locus est poenitentiae, et alter, qui, quid dedit, datum repetere potest ab altero, qui nondum dedit fecitve secundum promissa etc.

§. 4. Contractus nominati hoc loco, a causa formali subdividuntur in 4 species, alii enim 1) re, alii 2) verbis, alii 3) litteris, alii 4) consensu ineuntur. In omnibus quidem contractibus consensus requiritur, ut causa efficiens (sunt enim conventiones), sed tamen ad primi generis formam, praeter consensum requiritur rei traditio, ad secundi verba, ad tertii literae, in solo

quarto genere praeter consensum nihil requiritur, ut ex sequentibus patebit.

§. 5. Contractus nominati, qui re ineuntur, sunt 4. 1) Mutuum. 2) Commodatum. 3) Depositum. 4. Pignus.

Pacta sive conventiones sunt duorum plurimve in idem placitum consensus, suntque vel nuda, vel contractus; nuda pacta sunt: quae in puris placiti finibus subsistunt. Pacta conventa, quae neque dolo malo, neque adversus leges inita sunt omnimode observanda sunt, nihil enim tam congruum fidei humanae, quam ea servare, quae inter convenientes placuerunt, compilator statutorum addit rationem pactorum servandorum hanc, quod nempe, jure constitutum sit, ut quilibet beneficio pro se introducto possit renunciare; ideoque juri convenire: ut judices ex praescripto obligationum, cujusque debitoris jus dicant, l. 3. t. 1. §. 3.

Titulus 2.

De mutuo.

§. 1. Primus re initus contractus seu obligatio est mutuum, ita dictum non ex eo solo, quod ex meo tuum fiat, sed, quod viceversa hoc quoque agatur, ut tuum illud, quod accepisti, rursus meum fiat in re ejusdem generis. Definitur: est contractus realis nominatus, quo res fungibilis, id est, quae pondere, numero et mensura constat, ita alicui datur, ut non eadem, sed alia ejusdem naturae et qualitatis reddatur. Consistit itaque mutuum in iis rebus, quae pon-

dere, numero et mensura consistunt, veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, argento, auro, quas res aut numerando, aut metiendo aut adpetendo in hoc damus ut accipientium fiant, lib. 3. t. 1. §. 1.

§. 2. Ex hoc contractu nascitur actio, dicta conditio, dicitur et actio mutui, dicitur condictio certi, creditori adversus debitorem, ad restituendum tantundem, quantum accepit, licet res mutuo accepta perierit, perit enim suo domino.

§. 3. Dicitur autem haec conditio certi, quia ea petitur certum, hoc est, de quo constat quid, quale, quantumque sit, quod petitur.

§. 4. Qui mutuum accepit, is solvere illud mutuum debet ad tempus illud, de quo inter dantem et accipientem convenit, aut si dies solutioni praestituta non fuerit, solvere tenebitur, quando res mutuo data repetitur, l. 3. t. 1. §. 1. Et si ille, scilicet, qui mutuum accepit, illud, quod accepit quolibet casu amiserit, nihilominus obligatus permanet.

§. 5. Cum quid mutuum dederimus, et si non cavimus, ut aeque bonum nobis reddatur, non tamen licet debitori reddere rem deteriorem, quam in mutuo accepit, veluti vinum novum pro veteri, nam in contrahendo id quod agitur, pro cauto habendum est, id autem agi intelligitur, ut ejusdem generis et eadem bonitate solvatur, qua datum est.

§. 6. Ei, qui filiofamilias mutuam pecuniam invito patre dedit, etiam post mortem parentis ejus, cujus in potestate fuit, actio petitioque negatur. Si qui studiorum causa absentis mutuum dedit, is id repetere potest. Item si pater ratum habuerit, quod filiusfamilias mutuum sumserat, idem erit dicendum, l. 3. t. 1. §. 5.

§. 7. His ita praemissis, quae sint requisita mutui liquet, nempe, requiritur: 1) Ut res sit fungibilis, quae traditur mutuum accipienti. 2) Ut in eodem genere reddatur. 3) Ut dominium rei transferatur. 4) Requiritur consensus mutuantis et mutuarii (mutuarius est qui dat mutuum). 5) Requiritur traditio. 6) Ejusdem bonitatis et qualitatis. 7) Ut tantumdem reddatur.

§. 8. Compilator jurium statutalium, titulum mutui cum titulo debiti et solutionum connexuit, non incongruum erit itaque de debito heic aliquid proferre.

De debito et solutionibus.

§. 9. Debitum generaliter sumtum denotat quamlibet obligationem, qua alteri aliquid praestare tenemur, strictius vero sumtum significat alterum alteri certa quantitate alicujus rei teneri, v. g. decem cubulis tritici. Respectu illius, cui alter est debitor dicitur *activum*, quia penes illum stat jus activum exigendi, respectu autem debitoris *passivum*, nuncupatur, quod alteri praestare teneatur. Debitum aliud est liquidum, aliud non liquidum, liquidum est illud, quod in contractum deductum et ad certam quantitatem determinatum agnitumque est per debitorem contrahentem, ut pactato die solvatur. Non liquidum est, ab opposito ejusdem, quo quidem de jure tenemur, non tamen per nos recognitum et determinatum ac in obligationem deductum est, vel licet deductum sit, sed non pactato die est solvendum, v. g. damni causati refusio in natura.

§. 10. A debito differt mutuum in eo: 1) Quod debitum sit genus respectu mutui. 2) Mutuum contrahitur re, mutuum enim sui substantiam a traditione rei capit, et ideo interventum rei requirit, debitum vero verbis aut literis sine interventu rei contrahitur.

§. 11. Jura creditorum esse possunt sequentia: 1) Si quis debitorum accusetur per creditorem suum coram judicio, de debito confesso vel etiam debito liquido (confessum est etiam liquidum) creditor hic, qui est actor, sive civis sit, sive peregrinus, habet jus petendi a judice, ut judex sex septimanas praefigat ad solvendum, nimirum si debitum hocce ex rebus creditis fuerit contractum (aus vertrauten oder aus geborgten Gütern) Quodsi vero debitori parata pecunia sit mutuo data, vel is in contractu praesente pecunia se soluturum receperit, nullo solutionis termino constituto, et creditorem frustraverit, tunc judex triduum ad solvendum praefigere obligatur, l. 3. t. 1. §. 2. 2) Habet creditor jus petendi in bonae fidei contractibus, qui non sunt stricti juris, id, quod interest ex mora, hoc est, quamquam in ipsis obligatorialibus nulla fuerit interusurii mentio, propter tamen moram in termino praefixo non solventis debitoris, praeter summam capitalem etiam interusurium solvi debet per debitorem, et hoc fit non propter lucrum petentium, sed propter moram non solventium debitorum. Is, qui judicium accipere paratus est, moram solutioni fecisse non videtur, si juste et sine dolo malo ad judicium provocavit; pari modo, nec is facit moram, a quo pecunia seu debitum propter exceptionem aliquam peti non potest, l. 3. t. 1. §. 4. 3) Jus habet creditor, ut ea etiam in pristinum statum

restituantur, quae fraudandorum creditorum gratia alienata essent, non fraudantur autem creditores, cum quid non adquiritur, sed cum de bonis imminuitur, l. 3. t. 3. §. 2. 4) Jus habet creditor experiri debitorem, qui creditori suo, bonis cessit, si postea aliquid adquisiverit, quod idoneum emolumentum habet; non enim liberatur debitor, qui bonis cessit, nisi solutum creditor receperit, ibid. §. 4. 5) Illud etiam ad jus creditorum pertinet, ut principum rescripta omnia, quae in dilationem debitorum impetrantur non aliter valeant; nisi princeps ab ordinario debitoris magistratu edoceatur, debitorem justam impetrandae dilationis habere causam, l. 3. t. 1. §, 6. 6) Creditoris hypothecarii conditio potior est, quam chirographarii, etiam si hicce prius crediderit, l. 3. t. 2. §. 4. Illius quoque creditoris causa potior est, qui debitorem suum in judicio exhibuerit, debitumque suum creditor in praesentia judicis petierit, debitor vero non negaverit, quam alterius, qui judicis licentia debitoris bona arestavit, ibid. 7) Quodsi debitor solvendo non fuerit, nec a suo creditore dilationem impetrare potuerit, eotum creditor jus habet judicem adire, atque ab eo impetrare, ut debitor ad triduum usque publicae custodiae demandetur, quo tempore exacto, judex debitorem tradet creditori, qui illum adinstar familiae suae alet, et labori domestico per annum compedibus vinctum adhibebit, in singulos dies denarios quinque in solutionem debiti computaturus. Anno elapso, debitor nexu dimittitur, ita tamen, ut fide data spondeat, scilicet, id creditori suo in solutum daturum, quod ex operis in posterum acquirere poterit, neque interea quoquam fugiturum. Donec autem cre-

ditori huic satisfecerit, nullus ex aliis creditoribus eum aresto subjiciet, l. 3. t. 3. §. 10. Notandum hoc in loco est, quodsi aliquis respectu plurium creditorum fuerit in eo statu, ut solvere non possit, tunc de praxi hodierna crida solet celebrari.

§. 12. Jura debitorum esse possunt sequentia e codice juris desumta: 1) Jus habet debitor, ne creditor sine judicis authoritate occupet res debitoris, secus de vi privata tenebitur, ideoque si adversus debitorem suum agat creditor, id quod sibi deberi putat, per judicem reposcere debet ex ratione: optimum est, ut si quas putant se (creditores) habere petitiones, actionibus experiantur, l. 3. t. 3. §. 1. Vis est, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. 2) Unusquisque debitorum creditorem suum eundemque simul debitorem petentem submovere, id est, eatenus excipere contra illum potest, si paratus est compensare; et si quis debitorum, quum compensare potuisset, tamen solverit, condicere poterit quasi indebite soluto, hoc est, si debitor demonstrabit suum quoque creditorem fuisse sibi obligatum seu debitorem, nec tamen compensationem (fors ex inanimadvertentia) solicitasset, tunc id, quod solvisset creditori suo, repetere utique potest, tanquam indebite solutum. Quae compensatio ideo etiam est necessaria, quia interest uniuscujusque, potius non solvere, quam solutum repetere, l. 3. t. 3. §. 8. Hinc perspici potest, quod compensatio haec sit quasi species solutionis. Quinam effectus ex hac juris dispositione dependeant, vide Comment. Reiszneri. 3) Jus habet debitor hoc etiam, quodsi pecuniam per se solutam esse affirmaverit, ut probationem hujus rei afferre possit, l. 2. t. 3. §. 7.

§. 13. Jus habet debitor argumento legis, l. 3. t. 3. §pho 6-to comprehensae, ut creditores jactura debiti mulctentur, qui actiones suas ad potentiorum personas detulerint. Quaestio est: qui sunt intelligendi per personas potentiores? potentiores hi censendi sunt ex fine prohibitionis legis statutalis, qui in eo consistit, ne tenuiores importunis potentium intercessionibus opprimantur. Non itaque ex quovis fastigio divitiarum, dignitatis aut aestimationis debent definiri potentiores, sed tantum ex potestate, qua muniti sunt alios compellendi. Huc pertinent non solum qui jurisdictionem ipsi habent, sed et qui judicio assident, aut officio eminentiori praediti sunt, exclusis hinc advocatis seu procuratoribus. Itaque delatio talis actionis ad potentiores fienda prohibetur, sed nominis venditio et ignorante et invito eo, adversus quem actiones mandantur, contrahi potest, ibid.

§. 14. Jus competit debitori, a quo petitur pecunia, implorare rationem creditoris, ut fides veri constare possit, l. 3. t. 3. §. 9. Error calculi, seu ex uno contractu, seu ex pluribus si emerserit veritati non adfert praejudicium, unde sequitur: quod rationes saepe computatae, denuo retractari possunt (si res judicatae non sunt, vel transactio non intervenerit, ibid.

§. 15. Mutuum non fit gratis, nam praeter restitutionem mutui, obligatur debitor etiam ad necessaria mutui praestanda, quo pertinent *usurae* seu *census*, quae usura est merces pro usu rei fungibilis creditae dari solita. Usura dicitur etiam interesse.

§. 16. Quantitas censuum legitima, non eadem fuit olim, quae est hodie, sed multis modis variabatur, scilicet, art. 8-vo, anni 1673 et

acticulo 12-mo anni 1691, tam in aere, quam in natura decunces usurae seu decem pro centum solvi jubebatur. Dein rescripto regio anni 1747, 25-tae februarii census in natura praestandus idem relictus est, in aere autem sex pro centum jubetur solvi. Hinc apparet census praestari posse non solum in pecunia, sed etiam in natura, id est non modo aere sed in productis etiam naturae, et quidem nostris temporibus, si in aere sit praestandus census, sex pro centum exiguntur, si vero in naturalibus, nempe, frumento, vino, foeno praestetur, vi rescripti regi anni 1776 duplum exigi potest quantitatis legalis usurae pecuniariae; unde determinari debet, quantum ex naturalibus 12 pro centum valeret, juxta forense pretium temporis illius, quo mutuum datur, ac tantum pro singulis centum florenis licite exigitur.

§. 17. Qui autem praenotato legali interesse non contenti, seu nomine interesse, seu titulo discretionis in pecunia vel victualibus, aut aliis quibusvis rebus, aliquid ultra, sibi obligari et exsolvi procurant, gravi poena afficiuntur, juxta enim rescriptum regium anni 1747 propter nimiam usuram capitalis etiam summa amittitur. Hinc apparet, quid sit usuraria pravitas et quae sit illius poena; scilicet usuraria pravitas est excessus in exigendis usuris ratione quantitatis legitimae.

§. 18. *Anatocismus*, est actus illegitimus, quo usurae usurarum exiguntur, seu est, quando usura sorti vel capitali summae conjuncta alias usuras parit. Est duplex: conjunctus et separatus, ille est, ubi usurae residuae aut restantes sorti capitali junguntur, hic est, ubi tam pro sorte credita, quam pro usuris residuis usurae exiguntur.

§. 19. Separatus anatocismus est semper illicitus, conjunctus vero, mutato debitore, ubi obligationi ejus aliquis succedit titulo singulari est licitus, hoc enim in casu usurae amittunt priorem qualitatem, ac induunt naturam sortis, unde tales usurae adjici possunt libere, ob spontaneam obligationis susceptionem, vel reciprocam ac aequivalentem praestationem, quorum alterutrum hic semper intervenit.

§. 20. Non modo in mutuo, sed quolibet debito liquido, legale interesse obligare, et obligatum exigere licet, quia pecunia alteri debita cedit in commodum solius mutuarii sive debitoris, ergo aequum est, ut vicissim mutuans recipiat commodum; quare ab opposito sensu, si interesse obligatum non fuerit, neque praetenso cessantis lucri et emergentis damni titulo interesse a debitoribus exigi potest pro termino convento, tunc lex praesummit creditorem e christiana charitate, mutuas indigenti pecunias dedisse, absque interesse. Post terminum autem talem, pro solutione defixum, cum jam eotum alienam pecuniam, contra pactum adeoque illegitime retineat debitor, etiamsi interesse obligatum nullum fuerit, tamen titulo cessantis lucri et emergentis damni, debitor solvere tenetur, quia malae fidei erat possessor, argumento §. 4. t. 1. l. 3.

§. 21. Si porro nullus pro solutione praefixus fuerit terminus, nec interesse est obligatum, tunc usque, quo creditor sibi reddi non postulaverit, interesse nullum currit, quia tamdiu indulgente creditore possidet; ast facta repetitione nisi debitum sõlvatur, interesse locum obtinet, ex ratione malae fidei, l. 3. t. 1. §. 1.

§. 22. Debita probari possunt tam litterali, quam humano testimonio, et si aliquis, crediti

causa conveniatur, authentico et non alicujus scripturae exemplo est conveniendus, l. 1. t. 7. §. 2. Si debitor chirographum id est, litteras obligatorias dederit suo creditori, quibus debitum fatetur, et debitor iste accusatus seu in jus vocatus, sine justa causa solvere recuset, et tamen literas a se datas aut scriptas non neget, tales litterae, plenam habent contra eundem probationem, l. 1. t. 7. §. 1.

§. 23. Similem vim probationis habent litterae missivae, si in his expresse contineatur obligatio debiti ejus, qui litteras scripsit aut misit, et simul, si hae litterae missivae usitato sigillo obsignatae fuerint, sigillum enim litteras confirmat et corroborat, ibid.

§. 24. Amissio instrumentorum probatoriorum nòn obest creditoribus, si manifestis probationibus debitores suos convicerint crediti. Sicut autem iniquum est instrumentis igne absumtis, debiti solutionem abnuere, íta casum conquerentibus non facile est credendum, nisi aliis probis seu argumentis fidem faciant dictis. Ibidem §. 2.

§. 25. Rationes defuncti, quae in bonis ejus inveniuntur, regestrum item negotiatorum et opificum ad probandum sibi debitae quantitatis solae non sufficiunt. Ejusdem juris est, si defunctus in ultima voluntate certam pecuniae quantitatem, aut etiam res certas sibi deberi significavit, ibid. §. 3.

§. 26. Dum debitor quidam ita obaeratus est, ut status passivus, statum illius activum notabiliter excedat, adeo, ut creditores suos nec paratis contentare, nec sufficientem securitatem in bonis suis adsignare amplius possit, tunc instituitur concursus creditorum.

§. 27. De constitutione deque modo celebrationis concursus creditorum, habetur rescriptum regium anno 1772 4-ta julii emanatum, quo publicatur norma, juxta quam in casibus ordinandi concursus creditorum in Magno Transsilvaniae principatu procedendum sit.

§. 28. Norma autem illa, juxta quam contra decoctores et dolosos debitores procedendum sit in hocce principatu, rescripto regio anno 1772 7-ma mensis octobris emanato, est remissa clementerque approbata.

§. 29. Rescripta haecce et hae normae in casibus obviis possibilibus consuli queunt, donec de hac juris materia systematica regnicolaris deputatio, cui opus de hoc objecto diaetaliter concreditum est, referet, et pro lege confirmabitur.

§. 30. Quaestio adhuc est in materia mutui, an pecunia credita in eadem moneta e specie et eadem materia restitui debeat? v. g. Si credita est moneta aurea, utrum possit reddi argentea. Si conventum fuit, ut in eadem moneta reddatur, res est expedita, quia standum est pacto, si non, mutuum in alia moneta restitui potest, ratio sola sed solida est, quia pecuniae bonitas non tantum consistit in materia sive corpore, sicut bonitas vini in ipso vino, sed in valore impositio, secundum quem aestimatur.

Titulus 3.

De commodato.

§. 1. Secundus contractus nominatus re initus est commodatum, definitur, quod sit contractus re initus, quo res gratis ad certum usum et

tempus ea lege conceditur, ut finito usu et tempore in specie reddatur; ex qua definitione commodatum tam in re mobili, quam immobili consistere notissimum est. Qui dat, commodator dicitur, qui accipit commodatarius. Est contractus re initus, quia non oritur nisi res interveniat et realiter tradatur. *Gratis* datur, per quod distingvitur a locatione conductione, venditione et hypotheca, nam si usus rei pro certa mercede in pecunia numerata consistente concedatur, erit locatio et conductio, si vero pro alia re non consistente in pecunia, erit contractus innominatus. Non tamen repugnat naturae commodati, quin expost per modum gratuitae remunerationis aliquid accipiat commodator, dummodo id non detur, ut merces ex contractu.

§. 2. Ad *certum usum* et *tempus* conceditur, l. 3. t. 1. §. 7. per quod differt a precario, quod neque ad certum usum, neque ad certum tempus necessario conceditur, sed ad beneplacitum et revocationem pro arbitrio concedentis durat, nisi specialiter adjecta fuerit conditio. *Conceditur*, quia in commodato res proprie non datur, id est, dominium non transfertur, sed tantum usus relinquitur alteri. *Ut finito usu et tempore*, usum enim et tempus determinatum si transgrediatur commodatarius, poenam violentiae incurrit, velut violentus detentor. In *specie reddatur* commodatum, his enim verbis differt a mutuo, in quo non redditur eadem species, sed idem genus. Ex quo prono fluit alveo res fungibiles commodari non posse, quia horum usus consistit in abusu, et semel consumtae in specie reddi non possunt, argumento etiam §-phi 7. t. 1. l. 3. ubi habetur: tale bonum commodato detur, quo frui quis possit, et etiam restituere valeat.

§. 3. Pauca de hac materia in codice legum habentur in §pho 7-mo t. 1. 3. aliunde itaque haec materia suppleri debet. Effectus commodati est, quod tribuat actionem commodanti et ejus haeredibus contra commodatarium ejusque haeredes, ut res commodata usu et tempore finito in specie et in eodem statu restituatur; si vero deteriorata est simulque perierit, praestetur, si nempe culpa lata vel levi quid causatum fuerit, nam levissima casui fortuito aequiparatur, quem casum commodatarius velut et alter nemo praestare tenetur, quia sola divina providentia reguntur. Ratio specialis autem, quare commodatarius casum fortuitum non praestet, est haec: quia quaelibet res suo perit domino, commodatarius autem rei commodatae dominus non est, cum tantum usus et non dominium transferatur. Excipe 1-o si expresse conventum est inter partes de praestando casu fortuito, nam sic conventio legem dedit. 2-o Si commodatarius usu finito interpellatus non restituit commodatum, tunc propter moram culpabilem tenetur, quia mora sua cuivis nociva est. Si tamen mora fuerit culpabilis, nam si legitime impeditur, etiamsi poena conventionalis adjecta fuisset, ad nihil tenebitur, quia culpa caret, cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur.

§. 4. Vestigium de casu fortuito non praestando reperitur in codice legum Statutor. §-pho 7. t. 1. l. 3. ubi habetur: quodsi res commodata praeter summam diligentiam et culpam casu deterior fuerit reddita, non tenebitur commodatarius, nisi peculiariter de indemnitate inter eos, scilicet, commodantem et commodatarium conventum fuerit, tunc enim placitum con-

ventionis compleri debet. Hocce in §-pho habetur: quod restitutio commodati recusari non possit praetextu debiti alicujus, hoc est, commodatarius restitutionem rei commodatae, praetextu debiti alicujus, a commodante denegare non potest, verbo: compensationi in commodato locum esse non posse, quemadmodum etiam in deposito, l. 3. t. 3. §. 8.

§. 5. Notandum est: St. Huszti, juris hungarici doctor celeberrimus ait: dari jure imperatorio actionem etiam commodatario contra commodantem, eamque vocari *contrariam*, qua repetit nomine rei commodatae quod interest sibi, v. g. expensas, quas ad perpetuam rei commodatae utilitatem fecit, aut si rem vitiosam scienter commodavit, et exinde commodatarius damnum est passus etc.

§. 6. Quaestio alia afferri heic potest: an possit commodans rem commodatam ante tempus revocare, e. g. habens quatuor equos, duos commodavit alteri, postea alii duo perierunt, et ideo aliis duobus, quos commodavit, difficulter caret? Videtur quod non possit revocare, quia contractus legem dedit, praeterea donatio ob superveniens infortunium revocari non potest, ergo nec commodatum; hoc etiam addi potest: nemo potest mutare consilium in detrimentum alterius etc.

Titulus 4.

De deposito.

§. 1. Tertius contractus nominatus re initus est depositum, quo res gratis custodienda alicui traditur, eo fine, ut eadem in specie quando-

cunque deponenti vel ejus haeredi libuerit, restituatur, l. 3. t. 5. §. 1. Is, qui rem alterius fidei committit, deponens vel depositor, cui ea committitur, vocatur depositarius.

§. 2. Est contractus depositi *re initus*, quia interventu rei oritur, *gratis custodienda res*, nam si certa merces determinetur, quae custodienti exsolvenda sit, locatio- conductio efficitur. *Custodienda*, haec enim est forma depositi, et per hanc differt aliis contractibus re initis, siquidem in aliis, res ad custodiam non datur, verum, ut vel accipientis fiat, sicut in mutuo, vel ut ea accipiens utatur, sicut in commodato, vel in securitatem crediti datur, ut pignus. *Traditur*, tum quia res deposita proprie alteri non datur, quia dominium rei non transfertur, tum, ut indicetur, res immobiles deponi non posse, quia proprie tradi non possunt. *Ut in eadem specie*, per quod differt a mutuo, est enim obligatio depositarii, ut eadem in specie reddat. *Quandocunque deponenti vel ejus haeredi libuerit*, in hoc enim vel maxime consistit natura depositi, ut ad nutum deponentis restituatur, l. 3. t. 5. §. 1. quia depositum regulariter in solius deponentis gratiam contrahitur.

§. 3. Sicuti ex commodato, ita ex deposito oritur actio directa deponenti vel ejus haeredibus adversus depositarium aut haeredes ejus, ut res deposita non deteriorata verum in statu quo restituatur, ibid. Si vero deteriorata fuisset, quod interesset resarciatur, ibid. §. 3. An vero actio contraria competat depositario contra deponentem, si, v. g. expensas fecisset utiles in depositum, vel propter vitium rei depositae damnum fuisset passus, id arbitrio judicis est relinquendum, cui ex aequitate pro ratione facti et circumstantiarum incumbit cognoscere.

§. 4. Tenetur depositarius, ut jam dictum est, ad restituendam in specie rem depositam et ex integro, si enim res deposita culpa et negligentia depositarii amissa fuerit, judicio depositi tenetur. Quodsi autem sine dolo et culpa ejus sit amissa, non tenebitur, nam casus fortuitos, ut sunt tumultus, incendium, ruinae, rapinae, furtum, nemo praestat.

§. 5. Si duo homines invicem deposuerint aliquid, cum alter suum repetet, reddendum est, neque pignoris loco retinendum, ac ille, qui prior coram judicio egerit, potior erit jure, l. 3. t. 5. §. 4. Si duo eandem rem conjunctim deposuerint, eadem res non debet uni restitui, nisi sic deposuerint, ut vel unus auferat totam; quodsi vero sic inter eos conventum fuerit, ut si ambo non venerint, alteri una pars detur, conventioni standum est, l. 3. t. 5· §. 5. et §. 1. contractus enim legem ex conventione accipit. Si res apud duos deposita fuerit, adversus unumquemque eorum agi potest in solidum, nec liberatur alter, si cum altero agatur; non enim electione sed solutione liberantur, ibid. §. 5.

§. 6. Quaeritur: utrum depositarius re deposita uti possit invito domino rei? dicendum, quod non, custodiam enim tantum habet, et non usum rei; et si rem depositam invito domino sciens prudensve in usus suos converterit depositarius, etiam furti delicto fit obnoxius. Si sacculum vel argentum signatum deposuero ego, et si depositarius me invito contrectaverit illud, competet tunc mihi adversus eum et depositi et furti actio, ibid. §. 6.

§. 7. Non potest itaque depositarius re deposita uti, invito domino, custodiam enim habet tantum rei depositae, non vero usum ejus,

et si utatur, violentiam committet, invito domino rei alienae usum percipiendo, si nempe usus fuerit rebus depositis talibus, quarum valor per usum minuitur, quia per usum talium scienter damnificat deponentem, adeoque in dolo versari censetur. Dum vero valor rei depositae per usum non minuitur, nec quidquam interest deponenti, sive eadem in specie, seu tantum in genere reddatur; v g. si depositarius pecunia numerata, non tamen obsigillata utatur, animo eo, ut dum et quando deponens exegerit, aliam pecuniam in eadem bonitate et quantitate reddere velit, non videtur violentus posse dici, quia non adest praeconcepta nocendi malitia, propter animum deponendi non mutatum, quam nocendi praeconceptam malitiam violentia praesupponit.

§. 8. Quaeritur porro: an depositarius in periculo incendii, hostilis incursionis etc. res depositas prae suis conservare teneatur? dicendum est: non teneri, quia charitas proximi est, dilectionem incipere a se ipso.

§. 9. L. 3. t. 5. §-pho 1, non secus l. 3. t. 3. §-pho 8-o habetur: in causa depositi, locum non esse compensationi, sed rem ipsam scilicet depositam esse reddendam, hoc est, quodsi deponens nefors depositario aliqua pecuniae summa debitor esset, ob eam summam, depositarius rem depositam apud se retinere non potest, possessionem enim alienam perperam occupantibus compensatio non datur, hinc etiam propter expensas in rem depositam fors factas, depositarius jus retentionis in deposito exercere non potest.

§. 10. Res deposita, si per judicem loci alicujus, sine dolo et culpa depositarii arestata et

detenta fuerit, non est restituenda deponenti, nisi judicis permissu, et si hocce in casu depositarius non redderet rem depositam, nullam committeret violentiam, l. 3. t. 5. §. 2.

§. 11. Est et depositum, quod vocatur *miserabile*, quod in angustiis constituti, ob imminens incendii, belli, ruinae, tumultus, rapinae periculum tertio alicui, apud quem illud tutius esse potest, servandum tradimus.

§. 12. Depositum, aliud est depositum in *specie*, dum res non litigiosa ab uno, vel a pluribus deponitur; aliud est *sequestrum*, subdivisum in voluntarium et necessarium, definiturque sequestratio, quod sit, rei litigiosae a pluribus facta depositio. Voluntarium est, quod utriusque litigantis voluntate apud amicum deponitur, ea lege, ut is id victori restituat l. 110. de v. s. utriusque voluntate, nam quod ab uno litigantium deponitur, sequestrum non est, sed simplex depositum. Necessarium est, quod altera parte invita, a judice, ob justam causam deponitur in casibus obviis necessariis prudentiae judicis relictis. Voluntarii hujusce sequestri mentiö injicitur in §-pho 7. t. 5. l. 3.

§. 13. Antiquitatis studiosorum gratia, de poena depositariorum perfidorum, paucis videndum. Nulla fere fuit gens, quae non in deposito fidem accurratissime servandam esse agnoverit, et legibus suis eos, qui eam in hoc contractu frangunt, graviter coercuerit. Ipse Deus, in legibus suis positivis Levit. 6. 2. sequent.que depositum abnegantes notat, ac praeter rem depositam, quintam aestimationis partem ab illis exigi jubet. Romani in legibus XII tab. dupli poenam constituerunt in eos omnes, qui perfide circa depositum versabantur etc.

§. 14. Vidimus §-pho hujus nostri tituli 4-o, quod depositarius nonnisi de dolo et lata culpa teneatur, videamus pauca de dolo et culpa. Dolus communi jurium doctorum sententia alter dicitur bonus, alter malus. Dolus malus, sive fraus: est calliditas, fallacia aut machinatio ad alterum decipiendum et fallendum adhibita. Quotiescunque igitur de industria et consulto id agitur, ut alter deceptus laedatur, toties dolus malus committitur.

§. 15. *Culpam* in genere describunt, quod sit inertia sive desidia, qua quis in re aliena facit quod fieri non deberet, vel negligit, quod fieri oporteret. Culpa haec habet suos gradus: alia enim est lata culpa, quae crassa et supina dicitur, committitur autem, quando aliquis eam diligentiam non adhibet rebus alienis, quam rei natura desiderat, aut quis id non intelligit, quod omnes homines sanae mentis intelligunt; ut si quis rem commodatam relinqueret in foro publico et inde surriperetur. Notandum est, hanc culpam, in omnibus rebus circa pecuniariam mulctam versantibus dolo aequiparari.

§. 16. Culpa levis, est omissio illius diligentiae, quam homines diligentes adhibere solent circa curam rerum alienarum; ut si quis magni pretii depositum in cubiculo relinqueret, non obserata cubiculi janua, et inde surreptum iri contingeret.

§. 17. Culpa levissima, est omissio exactissimae diligentiae, quando quis rem alienam ea sollicitudine non curat, qua diligentissimus paterfamilias res suas curasset; veluti si quis passus est rem alienam, curae ipsius commissam a furibus auferri, servorum diligentiae confisus, cum per sedulam diligentiam tale damnum evitare potuisset.

§. 18. Casus in jure est simplex, qui nulla humana providentia praevideri et evitari potest, ut est, naufragium, aquarum vehementia, Mixtus est: cui admiscetur saltem aliqua culpa vel negligentia.

Titulus 5.

De pignore.

§. 1. *Pignus* ajunt derivari a pugno, quia res quae pignori datur, pugno sive manu tradatur. Pignus cum hypotheca in jure saepius confunditur, ut videre licet e titulo 2-do l. 3. diversa tamen sunt, tam quia pignus interventu rei contrahitur, hypotheca vero nuda conventione perficitur, tam quod materia pignoris sit tantum res mobilis, hypothecae vero mobilis aeque ac immobilis, demum quia in hypotheca usus rei transfertur, pignus vero in securitatem debiti traditur.

§. 2. Pignus definitur, quod sit contractus re initus, quo res traditur creditori, in securitatam debiti. Dictum in securitatem debiti, plus enim cautionis est in re, quam in persona, et nulla cautio creditorem reddit securiorem quam pignus, quia fallere potest debitor, aut facultatibus labi.

§. 3. Effectus pignoris est, quod tribuat actionem debitori, ejusque haeredibus, contra creditorem debito integre persoluto, ut res pignorata restituatur, quivis enim, rem suam pignori dans, sive oppignorans, potest redimere juxta tempus et modum constitutum in oppignoratione, l. 3. t. 2. §. 1. et juxta §-phum 3. l. 3.

t. dicti, permissum est debitori rem suam pignoratam ubicunque invenerit repetere, soluta prius pecunia, qua alter, hoc est, primus oppignoravit. Effectus pignoris is etiam esse potest, quod pignori obligatum a creditore, iterum si libuerit, obligari possit, ibid. §. 2. Si conventum fuerit de distrahendo pignore (sive ab initio seu postea): emtio et venditio pignoris valebit, sive stylo statutali emtor incipit dominium habere; quando vero de non distractione fuerit conventum, aut si creditor simpliciter sibi pignus depositum accepit, non licet distrahere, nisi debitori ter fuerit denunciatum, vel donec debitor coram judicio non fuerit conventus ut satisfaciat, l. 3. t. 2. §. 5.

§. 4. In distrahendis vero pignoribus, hic ordo servari debet, ut termino solutionis elapso, creditor a judice petat debitorem ad terminum competentem citari, quo vel pignus luat vel distractionem admittat. Si cognoverit judex nullam sufficientem causam producere debitorem, quare sua pignora non redimat, tunc pignora per tres hebdomadas in publico foro venum exponuntur, atque majus pretium offerenti venduntur. Si vero res oppignoratae immobiles fuerint, tunc tribus diebus dominicis subsequentibus aut in foro publico, aut ante fores templi parochialis publice proclamabuntur, l. 3. t. 2. §. 7. et l. 1. t. 12. §. 7. Si minus in pignore plus in debito inveniatur, creditori competit actio adversus debitorem in eo, quod abundare noscitur, et hoc verum est vice versa etiam respectu debitoris in creditorem.

§. 5. Ordo et jus a legibus concessum pignoratariorum talis est: qui a suo debitore hypothecam expressam habet, potior est conditio

ejus, quam qui chirographum tantum habet, Illius causa etiam potior est, qui debitorem suum in judicio exhibendo, hicce debitum in praesentia judicii recognoverit, vel si non recognoverit, deliberative tamen convictus fuerit, quam illius, qui, per judicem bona debitoris arestavit.

§. 6. Respublica (id est, communitas aliqua) creditrix omnibus creditoribus chirographariis praefertur, et hoc ideo, quia, qui cum fisco alicujus civitatis, oppidi, vel pagi contrahit, bona sua veluti pignoris titulo obligata habet in rationem fisci, quamvis in contractu specialiter de hoc nulla sit mentio.

§. 7. Cum saepe eveniat, ut debitores bona sua pluribus creditoribus oppignorent, frequentissimae contraversiae oriuntur de prioritate, sive de eo, qui potior in pignore sit. Sciendum ergo, quodsi eadem res sive eadem bona diversis temporibus, jure pignoris obligata exstiterint, is, qui pecunia data prius accepit pignus, prior est, et prioritas haec, est temporis prioritas, neque secundus creditor habet facultatem distrahedi talis modi pignoris, nisi priori creditori solutum fuerit ex integro.

§. 8. Denunciatio per debitorem facta creditori vel etiam emtoribus, de non distrahenda vel emenda re pignorata, ita est efficax, si creditori totum debitum offerat, nam si vel modicum debito decedat, distractio rei obligatae non potest impediri.

§. 9. An, et qualem culpam teneatur praestare creditor? in §-pho 12-o tit. 2. l. 3-ii habetur ad hanc quaestionem responsio tantum in genere, scilicet, quod creditor de dolo vel culpa sit responsabilis, sed qualis culpa praestetur, de hoc silet lex statutalis. Plurimi ju-

ristarum asserunt: creditores praestare debere dolum, culpam latam, et levem, (de dolo et culpa videas in titulo de deposito) quidquid autem commodi sive incommodi fortuito pignori accesserit, id ad debitorem pertinebit.

§. 10. Pro coronide hujus tituli notandum est, ex contractu pignoratitio oriri actionem pignoratitiam, competentem debitori sive oppignoranti ejusque haeredibus, adversus creditores ejusque haeredes, debito integre soluto. Nominatis contractibus adscribunt juris doctores transactionem etiam, quia certum et specificum in jure nomen habet, aliquid igitur de

Transactione.

§. 11. Transactio est nomen generale, laxius sumta, denotat modum quemcunque, quo, negotium controversum in vel extra judicium inter partes componitur. Hic stricte summitur pro specie contractus, et est: rei dubiae in judicium deductae, coram judicio, interventa partium non gratuita conventio seu concordia.

§. 12 Materia transactionis est res litis motae dubia, et non movendae, quia transactio fit coram judice seu coram jure, l. 3. t. 8. §. 4. effectus transactionis est, quod obtineat vim rei judicatae; quamvis itaque eum, qui pactus est, statim poeniteat, transactio tamen rescindi et lis instaurari non potest, neque sub praetextu instrumenti postreperti potest transactio rescindi, nam non minor est auctoritas transactionis, quam rerum judicatarum, et nihil ita convenit humanae fidei, quam ea, quae placuerant, custodiri. Unde qui fidem licitae transactionis rupit, non tantum submovebitur exceptione ab actione,

sed etiam poenam, quam stipulanti recte promiserat, praestare debet. Demum notandum: quod causae vel lites transactionibus legitimis finitae, principis mandato resuscitari non possunt.

Titulus 6.

De contractibus nominatis, qui verbis ineuntur.

§. 1. Absolutis contractibus, qui re celebrantur, juvat videre eos, qui verbis ineuntur, fitque hicce contractus ex interrogatione unius, et congrua responsione alterius, id est: stipulatione dicta a stipulo seu a stipite, estque contractus nominatus stricti juris, jure civili romano inventus, verbis initus, interrogatione praecedente, eamque responsione congrua in continenti subsequente, quo respondens interroganti ad aliquid dandum vel faciendum obligatur. Sufficiat in hoc titulo, de hac juris materia, quae in statutalibus legibus municipalibus haud reperitur, tantum attigisse. Plura cupientibus amplum est jus civile romanum.

Titulus 7.

Heic locus esse deberet disserere de illis contractibus nominatis, qui *litteris ineuntur*, sed quia altum de hac quoque juris materia est silentium in codice jurium saxonicalium, transeundum est ad obligationes, quae ex consensu oriuntur. Itaque

Titulus 8.

De contractibus ex consensu. De emtione et venditione.

§. 1. Frequentissimus et celeberrimus inter contractus est emtio venditio, quae licet unus sit contractus, duos tamen actus (instar locati conducti) inseparabiliter connexos involvit, emtionem scilicet ex unius, et venditionem ex alterius parte; illum, qui offert rem pro pretio venditorem, qui vero pretium offert pro re emtorem esse denotat. Definitur: quod sit contractus nominatus solo consensu initus, de re, sive merce emtori tradenda, et pretio certo numerato venditori dando.

§. 2. Ad substantiam proinde hujus contractus, tria requiruntur: 1) *Res certa*, quae venditur, et merx appellatur, quia sine re certa tanquam requisito essentiali emtio venditio fieri non potest. Itaque si emisti domum, quae, te ignorante, ante emtionem exusta fuit, emtio venditio nulla est, cum deficiat res certa contractui substrata. 2) *Pretium certum*, et quidem pecuniarium, quia pretium aeque est essentiale, et sine eo, nulla est emtio, l. 3. t. 6. §. 4. in fine, pecuniarium, nam si pro re dabitur res alia, erit permutatio et non emtio venditio. 3) *Consensus* verus tam emtoris in pretium dandum, quam venditoris in rem tradendam, quia omnem contractum consensus facit, l. 3. t. 6. §. 1.

§. 3. Num emtio venditio a permutatione sit contra distincta? acriter olim Sabinianos et Proculianos inter decertatum erat. Sabiniani siquidem existimabant non solum in pecunia numerata, sed et in alia re pretium consistere posse. E converso Proculiani statuebant emtionem non esse permutationem, sed ab ea, quam plurimum differre, quorum sententia, ut verior a J. C. et imperatoribus merito comprobata est.

§. 4. Juxta §-phum 1-mum tituli 6-ti libri 3-ii, emtio et venditio consensu contrahitur et perficitur, juxta §phum vero 4 tum hujus tituli arha etiam opus est, adeoque videtur praeter consensum aliud quid adesse debere, videlicet arhae solutionem. Apparens haecce contradictio inter §-phum 1-um et 4-um facile solvi potest; §-pho enim 4-to repetitur id, quod jam §-pho 1-mo dictum est, et §-phus 1-mus ampliatur hoc, ut neque tunc rescindendi facultas contractus alterutri detur, cum arha etiam (Haft-Geld) quamvis exigua intervenit. Est autem arha, quae in signum majoremque confirmationem celebrati contractus ab uno contrahentium alteri datur.

§. 5. Venditione perfecta, omne commodum et incommodum quod rei venditae contingit, ad emtorem pertinet, etiamsi res vendita in custodia adhuc venditoris maneat, quidquid enim sine culpa et dolo venditoris accidit, in eo venditor securus est, nisi custodiam rei, ad traditionem usque in se et suo periculo susceperit, nam tunc casus rei ad periculum venditoris pertinet.

§. 6. Contractum emtionis venditiònis de lege positiva praecedere debent solemnitates hae: 1-mo Ut venditor rei suae immobilis

videlicet aedium, horti, agri, etc primum denunciet illis, quibus, si non denunciaret maximum inferret praejudicium; sunt autem illi: jure successionis gaudentes, atque jus praeemtionis habentes. Jure successionis gaudentes sunt filii, filiae et fratres, ad quos scilicet, successio defuncti spectare videbitur, horum enim legitimam admonitionem quoque semper requirit venditio cujuscunque fundi. Jus autem praeemtionis habent, praeter successores legitimos commetanei et vicini, qui de lege praeferuntur peregrinis. Habent porro jus praeemtionis indigenae prae extraneis, ut videre est in Approb. Constitutionibus edicto 50-mo Stat. l. 3. t. 6. §. 6. 2-o Ut venditor post denunciationem tribus diebus dominicis proxime subsequentibus, in foro publico vel ante fores templi proclamari curet, et tunc qui prior emerit, retinebit fundum venditioni expositum, verumtamen fratres (Brüder) consangvinei (Blutfreunde) commetanei (Hattergenossen) et vicini (Nachbarn) praeferuntur peregrinis.

§. 7. Si vero civis aliquis habuerit fundum venalem in alio territorio, venditio fundi illius in eo loco publicabitur, et loci ejus incolae praeferuntur omnibus venditoris civis propinquis, exceptis parentibus et liberis.

§. 8. Quaeritur autem, an denunciatione tunc etiam opus sit, cum venditio publice, sciente, vel etiam praesente et non contradicente eo, qui jus praeemtionis habet, celebratur? Juris consulti quidam asserunt tunc quoque necessariam esse denunciationem, ratio est: quia is, qui negotium, quod in suum praejudicium geritur, scit, aut etiam adest, tacendo jus suum conservat; nemo quippe juri suo, nisi ex-

presse hoc fecerit renunciasse censetur. Comment. Reiszner. Aliud tamen jure statutali statutum est in solennitate traditionis, praesens enim siquis est contradicendi jure utatur, ne jus suum perdat, l. 3. t. 6. §. 8.

§. 9. In traditione rei venditae sunt solennia quaedam, quibus venditor et emtor uti solent. Tria sunt illa potissimum. Primum, adhibitio testium, qui esse debent e honestis viris simul et vicinis. Alterum, traditio ipsa, per quam venditor omne jus dominii emtori resignat. Tertium, confirmatio actus per pocula et propinationem vini, uno vocabulo juris, adesse debet solennitas symposii (áldomás ital, Wisswein). Quem ultimum morem Transsilvani a majoribus suis acceptum conservant. Ex vetusta etiam gentium septentrionalium consvetudine, pollicitationes potu solebant firmari, et tacite vel expresse precabantur, ut haustus ille, valetudini vitaeque ipsorum noceret, nisi facerent secundum promissum.

§. 10. Dictum est, traditionem, unicum solenne esse, tunc, scilicet tempore immissionis seu statutionis, is, qui praesens est, et juris aliquid ad fundum venalem se habere credat, per publicum famulum contradicere tenetur (accepto a judice sigillo) et simul ad decimum quintum diem coram judicio contradictionis suae rationem assignare tenebitur. Contradictione nulla existente, emtor fundi dominium plene consequitur, si vero absens esset contradicturus, neque novisset fundum venalem esse, jus suum intra annum persequi poterit, fundum vero venalem esse quivis resciet, si denunciatio et proclamatio fundi divendendi instituantur, juxta praescriptum, §. 5. t. 6. l. 3. Stat.

§. 11. Quaeritur: si venditio emtio sub additione in diem celebratur, atque interea alius quispiam existit, qui lautius pretium offert, contractus emtionis venditionis, tametsi antea consensu perfectus, dissolviturne aut minus? Respondendum est e §pho 3-o t. 6. l. 3. Ubi habetur: venditori licitum esse, allata meliore conditione addicere posteriori, si prior non sit paratus plura adjicere. Necesse autem habebit venditor allatam meliorem conditionem priori emtori significare, ut quod alius adjicit, ipse quoque adjiciat.

§. 12. Siquis jam fundum suum alteri vendiderit, tenebitur de evictione usque ad annum et diem inter praesentes, si vero ille, qui impetiturus esset emtorem, ab hoc regno abesset, aut alia justa impedimenta obstarent, quominus jus suum intra tempus lege definitum prosequi posset, et reversus, sublatisve impedimentis intra annum et diem emtori litem movere coeperit, tunc emtor venditori secundum juris ordinem, hoc est, per publicam personam medio sigilli judicis id denunciare, et venditor emtorem evincere tenebitur.

§. 13. Tempus itaque, quo praestatio evictionis hujus concluditur, singulare est, distingvitur enim utrum is, qui rem vindicat praesens sit, an vero absens, aut alio legitimo impedimento distineatur. Priori in casu venditor intra annum et diem ad praestandam evictionem conveniri potest, posteriore vero casu idem annus et dies pro termino praescribitur, sed is ante currere non incipit, quam absentia vel impedimentum cessavit. Comment. Reiszn. Rationem quare venditor inter praesentes de evictione solummodo intra annum et diem teneatur,

puto esse hanc: quod is, qui posset contradicere, si non contradicit intra annum, deinde ab agendo et etiam suo jure penitus cadit, quare nec evictione opus dein est.

§. 14. Videndum paucis etiam de venditione emtione rerum etiam mobilium, cujus vestigia reperiuntur in §-phis 9, 10 et 11. tituli 6-ti l. 3-ii Stat. Si res mobilis insciis consangvineis clam vendita fuerit, illi, qui proximi sunt ad tertium gradum usque, si voluerint redimere, jus et potestatem habebunt.

§. 15. Nemo ab exteris vel aliis peregrinis hominibus, potissimum valachis, equos, boves etc. in pagis, praeterquam in civitatibus vel oppidis tempore nundinarum emat, ne tandem emtor tanquam furtivae rei damnum patiatur, §pho 10. t. 6. l. 3. In §-pho hocce consilium magis, quam lex praescribitur emtoribus, ut ab extraneis et incognitis hominibus per pagos transeuntibus pecora et jumenta emere caveant, ne in damnum incidant, si res forte furto aut rapina ablatae, deinde a superveniente domino vindicabuntur, nam hoc casu emtor non solum detrimentum hocce sustinet, quod rem emtam sine pretii restitutione reddere cogatur, sed praeterea, facile in suspicionem furti incidit, si nullum idoneum auctorem nominare potest, a quo rem accepit. Quodsi tamen aliquis, neglecto hoc saluberrimo consilio rem furtivam incaute emerit, eamque deinde, evincente domino amittat, habebit nihilominus contra venditorem suum, siquidem ille adhuc adsit, actionem ad praestandam sibi evictionem, sive ut emtor consequi possit, quanti sua res interest, id quod etiam juri communi convenire videtur.

§. 16. Cessat tamen haec praestatio evictionis tunc, cum ipse emtor initio contractus scivit rem, quam emit, esse furtivam aut alienam, v. g. in casu ubi venditor equorum, monuerat emtorem, furto illos ablatos esse, adeoque custodiri debere, ne a domino videantur, tunc enim venditor, tametsi ipse fur sit, nequidem ad pretii restitutionem obligatur: ratio est potissima haec, quod is, qui sciens rem furtivam emit, ipse quoque pro fure habeatur, l. 12. cod. de furtis, l. 3. t. 6. §. 16.

§. 17. Siquis emit in nundinis anniversariis, vel foris hebdomadalibus equum furtivum, vel vi a suo domino ablatum, atque ille equus tandem vindicatur et repetitur, emtor non tenetur suum evictorem statuere, sed sufficit si probaverit se, intercedente consveta symposii solennitate emisse. Siquis equum vendit, de vitiis et morbis latentibus cavere debet in diem usque tertium.

§. 18. Notandum est, jus praeemtionis, vocari in jure passim jus protimiseos, quod ipse Deus sapientissimus antiqussimusque legislator ratione consangvineorum inter judeos introduxit. Levit. XXV. 25.

§. 19. In §-pho 1-o tit. 6-ti, libri tertii de emtione venditione habetur, quod emtio venditio contrario utriusque partis consensu resolvatur, antequam tamen res fuerit tradita vel pretium solutum, quid hoc significet, eruditus Reiszner interpretatus est, scilicet, quodsi ex alterutra parte contractus jam impleri coepit, et vel venditor rem tradit, vel emtor pretium aut partem ejus solvit, venditio proprie rescissa dici nequit, tametsi partes conveniant, ut is, qui jam aliquid accepit, id restituat; sed nova po-

tius hoc casu emtio venditio, salva priore, celebratur.

§. 20. Anno 1806 sub nro univ. 193. emanatum est statutum quoddam nationale, hoc est, statutum inclytae nationis saxonicae universitatis, desuper: quod etiam tempore oppignorationis (Verpfändung) veluti solet esse in perennali venditione, jus praeemtionis habent consangvinei opignorantis, consequenter etiam oppignoratio fundi alicujus requirit admonitionem illorum, qui sunt consangvinei oppignorantis (Anverwandten des Verpfänders seiner Gründe — — — auch zu dieser Pfandnehmung, so wie zum eigenthümlichen Erkaufe ein näheres Recht haben müssen. In praefatione statuti hujus nationalis hoc etiam habetur: (ihre Anverwandten und diejenigen, so ein näheres Anspruches Recht nach Vorschrift der Gesetze darauf hätten, davon zu praecludiren trachten) hinc concludo, statutum hocce nationale pro vicinis et commetaneis quoque extendi posse, salva aliorum opinione.

De concambio.

§. 20. Concambium, sive bonorum permutatio est: bonorum cujuscunque nominis, inter duas vel plures partes reciproca commutatio et legitima translatio. Vestigium hujus reperitur in §-pho 18. t. 6. l. 3. Stat. Cuivis possessori licita est, si eam sibi utilem judicet, non obstante contradictione, dummodo absque fraude et dolo ineatur, et species similis pro simili tradatur, ibid. Inventum est concambium ad majorem commoditatem administrationis, evitandae malae viciniae et declinandorum jurgiorum causa.

Titulus 9.

De locatione et Conductione.

§. 1. Vicinus contractus emtioni venditioni est locatio conductio, et est: contractus consensu initus de re fruenda vel facienda. Differt autem ab emtione venditione in sequentibus: 1) Haec pretium requirit, quo res ipsa aestimatur, illa, mercedem, qua usus rei vel facti utilitas compensatur. 2) Haec fit in perpetuum, illa ad certum tempus. 3) Haec est causa vel titulus ex quo dominium adquiritur, illa est causa tantum utendi re vel opera.

§. 2. Officia vel obligationes locatoris sunt in genere: totius rei locatae liberum usum conductori praestare, eumque indemnem servare, omniaque secundum legem conductionis facere, in specie vero: prospiciet locator, ut conductor commode habitet, et si quid conductor opera sua neccessario vel utiliter aedificaverit conscio locatore, id locator in defalcationem pensionis sive mercedis imputet, l. 3. t. 4. §. 1. Stat. mortuo conductore intra tempora conductionis, haeredes ejus in jure conductionis non turbet locator. Si locator aedium suarum aedes locatas alicui vendat, curet apud emtorem, ut conductor eadem pactione fruatur et habitet, alioquin aget conductor cum eo ex conducto, aut vero pensionem pro domo locata petentem exceptione doli submovebit, si vero locator paratus est aliam habitationem nonminus commodam conductori praestare, absolvi potest.

§. 3. Obligationes autem conductoris sunt: completo tempore pactam pensionem pro re conducta solvere, aedes conductas deteriores non facere et fieri non permittere, nam si plures in aedes conductas receperit conductor, et per illos aliquid damni detur, illorum culpam praestare tenebitur. Si conductor contra legem conductionis fundum vel aedes conductas, ante tempus, sine justa causa et probabili deseruerit, obligatur ex conducto ad solvendam totius temporis pensionem; nullus autem conductor prohibetur rem, quam conduxit, alii locare, si nihil aliud conventum fuerit.

§. 4. Inspicienti titulum integrum quartum libri tertii Stat. patebit, locationem conductionem duplicem esse, scilicet, rerum et factorum sive operarum, illa est, qua usus rei, alteri, pro certa mercede seu pensione conceditur, haec autem est, qua usus non rei sed personae ejusque operae pro certa mercede promittuntur.

§. 5. Hactenus actum est de locatione — conductione rerum, jam in sequentibus agetur de locatione conductione operarum juxta §phos statutales: nimirum, opifices, puta fullo, sarcinator, et reliqui, si id, quod ad faciendum illis locaverint, negligentia aut culpa perdiderint, solvere illud tenebuntur, ita etiam, si ex inscitia deterius reddiderint. Ita, nautae, vectores, stabularii (Gastgeber und Krätschmer) si quid salvum fore receperint, nisi restituant, dabitur in eos judicium. Si vero res locata per ignem aut alios casus fortuitos, quibus resisti non potest, destruitur, conductor tunc non tenetur.

§. 6. Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non

steterit, quominus operas praestaret. In operis duobus simul locatis, convenit priori conductori ante satisfieri, quia, qui prior tempore potior etiam jure.

§. 7. Qui mercedem accepit pro custodia rei alicujus, is, ejus rei periculum propter mercedem praestare debet, sed damnum ab alio datum non. Eruditus Reiszner, innuit vocabulum periculi non de casu fortuito, sed de ejus modi damno explicari debere, quod ex omissione summae diligentiae proficiscitur.

§. 8. §phus 8-vus tituli 4-ti libri 3-ii Stat. agere videtur de agricola fundum alienum ex errore tractante. Talis fors hic agricola intelligi debet, cujus opera conducta est, secus quomodo locum hicce §phus in hoc titulo habeat non video, quum titulus hicce totus agat de locatione—conductione.

§. 9. Sub hoc juris titulo agi potest de statu servorum seu famulorum quoque, quia opera illorum personalis ad tempus definitum usque, per ipsos servos locatur conductoribus. Servi sunt personae mercede conductae, ad operam personalem usque ad tempus definitum hero prestandam.

§. 10. Utriusque, domini scilicet et servi jura et obligationes definit contractus locati conducti, qui hic intervenit; et quia tali conventione mutua initur, ideo servi seu servitores dicuntur conventionati, iis vero, qui oeconomiae administrandae sunt adhibiti, nomen officialium oeconomicorum adtributum est.

§. 11. Jura servorum horum in lege statutali haec duo adscripta legi possunt: 1) Quilibet famulus demeritam mercedem, hoc est operis fideliter praestiti mercedem conductam, post ab-

solutum servitii tempus a hero suo petere potest; quodsi herus morosus existeret, judex ipse auxilio erit ut servo satisfiat, ita ut si herus debiti quantitatem non negaverit, tum tridui tempus pro solutione fienda dabitur, sin aliquod obstiterit impedimentum, puta compensationis, id judex ex aequitate componet. 2) Servi hanc habent praerogativam, ut suum stipendium exigere possint prae omnibus aliis creditoribus, exceptis iis, qui dominos antea debiti convicissent, l. 1. t. 12. §. 3.

De emphyteusi.

§. 12. Sub emtione et locatione olim latebat emphyteusis, quae per Zenonem, imperatorem post, distincta ab illis contractibus, separatum locum inter contractus, qui consensu ineuntur, nacta est. Definitur: quod sit contractus consensu initus, quo, dominus praedium suum, alicui utplurimum perpetuo utendum concedit ea lege, ut emphyteuta id cultius reddat, et in agnitionem dominii, canonem, id est exiguam pensionem annuam praestet. Mentio hujus contractus est, Inst. Just. l. 3. t. 25. §. 3. Contractui huic familiaris esse videtur hodie contractus arendae sive arendatitius, eo excepto, quod bona in arendam elocata, non dentur in perpetuum exarendanti.

§. 13. Similis est locationi — conductioni *arenda* sive contractus arendatitius, per quem, quilibet realis bonorum possessor, bonum suum pro certa quotannis pendenda summa, certis sub conditionibus, pro certo tempore, ad utendum fruendum, alteri tradit. Is, qui bonum su-

um tradit locator seu exarendans, qui usum fructum boni, erga certam mercedem habet, conductor seu arendatitius possessor, aliter arendator dicitur.

Titulus 10.

De societate.

§. 1. Societas, est contractus de rebus quaestus causa communicandis, adaequatius definiendo, est: contractus juris-gentium nominatus, bonae fidei, solo consensu initus, de rebus vel operis vel utriusque communionis habendae animo conferendis; et hoc, seu fiat respectu omnium bonorum et negotiorum, seu respectu partis et aliquorum tantum. Unde si nihil inter partes conventum fuerit, aequaliter damna et lucra partienda veniunt, secus non repugnat, ut ad unum sociorum duae partes lucri, tertia damni, et vicissim (prout expressum fuerit) pertineat. Fleischaker definit societatem: quod sit contractus consensualis, quo invicem communicatio rerum vel operarum promittitur in commune commodum.

§. 2. Societas haec manet eo usque, donec in eodem consensu perseveraverint. Dissolvitur autem: 2) Renunciatione, sine tamen dolo malo. 2) Morte unius socii, licet reliqui remanserint, nisi in coeunda societate aliter conventum fuerit. 3) Finito negotio, de quo societas inita fuerit. 4) Dissensu mutuo: quid enim tam naturale, quam unum quodque eo modo dissolvi, quo colligatum est. 5) Praeterlapso, in quod

inita fuit tempore. 6) Si socius obaeratus, facultatibus labatur, et denique 7) Rei, super qua inita fuit interitu. Plura scire cupienti de hac juris materia, patebit l. 3. t. 26. Inst. Just.

§. 3. Ad consensuales contractus refertur mandatum quoque, quod tanto utilius scire interest, quanto in hoc mandati contractu, plenipotentiaria et procuratoria constitutio habet fundamentum. Quapropter

Titulus 11.

De mandato.

§. 1. Mandatum est contractus consensualis, quo, quis negotium committentis, gratis gerendum suscipit.

§. 2. Ad substantiam ejus requiruntur: mutuus tam mandantis, quam mandatarii consensus, ut commissum negotium mandantis interesse concernat, ut gratis gerendum suscipiatur. Honorarium, quod procuratores sive mandatarii recipiunt, naturae mandati obest nihil.

§. 3. Differt mandatum a negotiorum gestione, qua negotium ignorantis a domino non commissum ultro suscipitur, negotiorum enim gestio non ex vero sed ex quasi contractu oritur.

§. 4. Negotia mandari possunt omnia, quae propria in persona praecise expediri non debent, honesta tamen et licita sint, ex mandato enim rei illicitae, vel turpis nulla inter contrahentes nascitur obligatio.

§. 5. Officium mandatarii in eo consistit, ut mandatum semel susceptum diligenter, bona fide,

et secundum fines praescriptos adimpleat, qui hoc excedit, agit nihil, nec mandantem suo facto obligat.

§. 6. Dissolvitur mandatum modo legitimo initum 1) mutuo dissensu, 2) revocatione mandantis re integra, 3) renunciatione non intempestiva et mandanti nociva, 4) morte contrahentium, plura vide in jure romano. Omnibus contractibus accedere potest fidejussio, hinc et contractus accessorius dicitur. Recte itaque

Titulus 12.

De fidejussione.

§. 1. **Fidejussio est: intercessio cumulativa securitatis creditoris causa directe facta, aut etiam: est contractus verbis aut litteris initus, quo quis alienam obligationem in se recipit, debitore principali obligato manente.** Fidejussor, si coram jure cavet, alterum judicio sisti: *vas* nominatur.

§. 2. Cum fidejussio sit contractus, sequitur eos, qui obligari nequeunt, nec fidejubere posse, quia generatim persona talis requiritur, quae paciscendo, se suaque obligare potest, furiosi itaque, mentecapti, prodigi civiliter tales fidejubere nequeunt.

§. 3. Effectus fidejussionis legitimae sunt: 1) si quis pure fidejussit pro alio, semper obligatur, si vero in diem vel sub conditione, iis stabitur. 2) Beneficium ordinis sive excussionis non habet fidejussor, hoc est creditori conceditur electio conveniendi primo loco vel debitorem

principalem omissis fidejussoribus, vel fidejussores omisso principali debitore, et per hanc electionem creditor non excluditur a regressu ad alterutram partium, non enim electione sed solutione in solidum liberantur debitores et fidejussores; consequenter fidejussor per creditorem conventus non potest creditorem ad debitorem excutiendum inviare. Stat l. 3. t. 7. §. 1. 2. Porro

§. 4. Si fuerint plures fidejussores pro uno debito, singuli in solidum tenentur, itaque, si alter fidejussorum in jure coactus in solidum satisfecerit creditori, actio ei, adversus debitorem principalem vel ejus haeredes competit, a quibus si nulla erit satisfactio, ad alios confidejussores regredi licet, donec consequitur in solidum, quae persolvit creditori. Si medio tempore insignem rerum suarum jacturam patiantur fidejussores, et fuerint ad extremam inopiam redacti, cognita causa denuo debitor cavebit; possessores autem rerum immobilium cavere non coguntur.

§. 5. Effectus fidejussionis est, ut tum fidejussor ipse, tum haeres ejus tenetur, transit itaque obligatio debitoris etiam in haeredes fidejussoris, secus in fidejussione non esset securitas. Praeterea creditor non solam fidem, sed res ac bona fidejussoris secutus fuit; sicut igitur debitoris principalis obligatio in haeredes derivatur, ita et obligatio fidejussoris, cum haec sit accessoria. Major est securitas in bonis quam in persona.

§. 6. Fidejussio jure contracta potissimum ex his causis exstingvitur: 1) Exstincta obligatione principali, ruente enim fundamento ruere debent et accessoria. 2) Lapsu temporis, siquis

ad certum tempus fidejusserit, conventio enim posuit legem. 3) Renunciatione, si hoc sibi reservaverit, secus non, nam juxta §-phum 1-um statutalem de fidejussione habetur: ut siquis pure fidejusserit, semper obligatur.

Titulus 13.

De obligationibus, quae quasi ex contractu nascuntur.

§. 1. Hucusque dictum de obligationibus, quae ex generibus contractuum nominatorum oriebantur, ut videre est in hoc l. 3-o t. 1-o §. 4-o; sequuntur jam, quae quasi ex contractu nascuntur. Est autem quasi contractus, negotium quoddam, quo quis alii sine tractatu, sive sine conventione obligatur. Hac quidem obligationes non proprie nasci ex contractu intelliguntur, sed tamen, quia non ex maleficio capiunt substantiam, quasi ex contractu nasci videntur. Inst. Just. l. 3. t. 28. Sunt itaque obligationes hae ex quasi contractu ortae, praesumtae conventiones, mediante aliquo honesto facto actionem producentes.

§. 2. Quasi contractus tria videntur habere requisita: 1) Ut instituantur absque expresso consensu vel conventione. 2) Ut objectum eorum sit factum honestum. 3) Ut praesumtus consensus et tacita voluntas in his contractibus ex interpretatione juris tam efficaciter operetur, quam illi contractus, quorum naturam expressa conventio absolvit.

§. 3. Sunt vero ejusmodi quasi contractus: negotiorum gestio, quae definitur: quod sit quasi contractus, quo, quis alterius absentis et ignorantis, negotia sine mandato utiliter gerit. Oritur ex hoc quasi contractu ultro citroque obligatio, et sic, et actio. Tutelae administratio, haereditatis aditio, indebiti solutio, et similia; tametsi enim, ut caetera omittam, inter tutorem et pupillum expressa conventio non intervenisset, nihilominus, ob non satis sincere administratam rem pupillarem, dabitur pupillo, ubi ad aetatem suscitandarum litium capacem pervenerit, contra tutorem de jure actio; imo et tutor reciproce poterit agere contra pupillum, dum aetatem pupillarem excesserit, si se ex gestione tutelae laesum fuisse legitime docuerit. De quasi contractu haereditatis aditionis, vide Stat. 1. 3. t. 3. §. 5. Plura vide in Inst. Just.

Titulus 14.

Quibus modis tollitur obligatio.

§. 1. Quatuor sunt modi celebriores, quibus ipso jure obligatio exstingvitur. Primus est *solutio*, quae est rei debitae per ipsum debitorem, vel alium ejus nomine creditori idoneo facta actualis satisfactio. Secundus modus est *acceptilatio*, quae definitur, quod sit liberatio per mutuam interrogationem, qua utriusque contingit ab eodem nexu absolutio, sive definitur: quod sit imaginaria solutio, ex eo, quod non numeratione pecuniae sicut solutio, sed tantum ver-

bis fiat. Tertius est *novatio*, quae est, prioris debiti in aliam obligationem vel civilem vel naturalem transfusio. Quartus est *contrarius utriusque partis dissensus*, secundum naturam est, unumquodque eo genere dissolvi, quo colligatum est. Plura de hac quoque juris materia videri possunt in jure civili romano, haec modo sufficiant.

Titulus 15.

De obligationibus, quae ex delicto nascuntur.

§. 1. Delictum est factum illicitum, quod lege humana poenam meretur. Vel est: offensio contra jus illata, ad poenam obligans. Dicitur etiam crimen, noxa, maleficium, estque publicum aut privatum, publicum est: quo status publicus directe laeditur, quodque leges publice in exemplum vindicare volunt, (de quo infra) privatum est: quo principaliter cives singuli laeduntur, et ex quo privata ac forensis actio prodita est, nec publice legibus vindicatur.

§. 2. Privata delicta sunt vel propria, quae vero dolo perpetrantur, vel quasi delicta, quae per culpam perpetrantur. Vera et propria delicta sunt: furtum, rapina, injuria et damnum, de quibus ordine. Siquidem tamen compilator jurium statutalium ad unum titulum coëgerit tam furtum, quam rapinam, ut videre est l. 4-i titulo 2-do, juvabit simul et semel de hac materia aliquid agere. Itaque

Sectio 1.

De furto et vi bonorum raptorum.

§. 3. Furtum est ablatio et contrectatio fraudolosa rei alienae inscio et invito domino, lucri faciendi gratia. Stat. l. 4. t. 2. §. 1. Contrectare, est rem amovere, unde neque rei immobilis, neque incorporalis, neque sola cogitatione fit furtum, et hoc in foro fori, nam in foro poli etiam solo animo furtum committitur Exod. 20. v. 17. Fraudolosa autem est contrectatio, quae fit animo furandi, seu alieni intervertendi causa; neque enim rei propriae fit furtum, nisi cum usus aut possessio est alterius l. 4. t. 2. §. 6. Stat., neque rei alienae, volente et sciente domino, neque rei alterius sine proposito et animo furandi, unde nec impubes furti tenetur, nisi cum pubertati proximus est, et intellectum habet.

§. 4. Furtum a furvo, id est nigro ait Justinianus descendisse, quia potissimum nocte contingere solet, clam et obscure, vel vero a ferendo id est, auferendo.

§. 5. Rapina est ablatio rei alicujus mobilis fraudolosa seu dolosa et violenta, raptor autem est fur improbus, imo improbior fure, violenter enim, id est, non inscio domino aufert vi privata rem domini, unde raptorem non tantum actione vi bonorum raptorum, sed etiam actione furti teneri, manifesti juris est. Patet itaque differentia furtum inter et rapinam.

§. 6. Furtum aliud est manifestum, aliud nec manifestum. Manifestum est, cum fur de-

prehenditur, vel in ipso facto seu furto, vel in loco, etiam post factum, veluti qui in domo furtum fecit, et nondum egressus januam deprehensus fuerit, vel cum extra locum furti sed tamen cum re furtiva a domino vel quovis alio ante visus aut deprehensus fuerit, quam illuc rem pertulerit quo perferre volebat, et eo die cum re furtiva manere destinaverat; sed si pertulit, quo destinavit, tametsi deprehendatur cum re furtiva, non est manifestus fur. Nec manifestum furtum est, quod ita deprehensum non est, est itaque, quando fur insciis aliis rem furto surreptam in eum transfert locum, in quem se recipere constituit.

§. 7. Aliud furtum est diurnum, aliud nocturnum. Furem diurnum seu interdiu deprehensum, non aliter occidere lex 12 tabularum permisit, quam si telo id est fuste, ferro, lapideve se defendat; nocturnum vero furem si quis occiderit, ita impune feret, si ei parcere periculo suo non potuit. Stat. l. 4. t. 2. §. 11.

§. 8. Quid sit furtum? qui sint fures? vidimus in genere, jam videamus casus specificos e codice legum desumtos de eo, quinam sint fures? Non tantum qui furtum facit, sed etiam is, cujus opera et consilio furtum factum est furti actione tenetur, id est fur est. Qui alienum quid repertum, lucri faciendi causa sustulerit, sive sciverit cujus ea res sit, sive ignoraverit, si judicio non manifestat, fur est, et furti actione obstringi debet. Qui rem alterius ea mente contrectavit ut lucri faceret, tametsi mutato consilio, eam postea domino reddit, fur est, nemo enim in tali peccato poenitentia sua nocens esse desiit, praesertim, si factum judicio innotuerit. Neque raptori prodest ad evitan-

dam poenam, si rem raptam ante judicium restituat, sic nec occultanti dolo malo, si factum judicio innotuerit.

§. 9. Reliqui complures casus, e quibus intelligi potest, quinam sint fures, adaequate enumerantur in §phis 6, 7, 10 et 12. tituli 2-di l. 4-ti Stat.

§. 10. Ex hoc delicto furti nascitur actio furti, quae actio eompetit ei, cujus interest rem salvam esse, licet dominus non sit, interest singulorum civium, sed interest communitatis cujuscunque loci vel jurisdictionis, vel brevius: interest fisci localis. Nascitur condictio furti, quae illi competit, qui dominium rei habet, vel haeredi ejus, nunquam tamen condictione ea, alius, quam qui fecit tenetur, aut haeres ejus.

§. 11. Actio furti et condictio furti itaque differunt inter se, quae differentia est multiplex et praecipua versatur circa objectum. 1) Condictio furtiva, ipsam rem cum fructibus tam perceptis, quam percipiendis, omnique interesse vel si res interierit, aestimationem ejus, quanti ea plurimi fuit a tempore furti commissi repetit, actio autem furti poenam saltem persequitur. 2) Actio furti reum condemnatum infamem reddit, non etiam condictio furti. 3) Actio furti adversus furem solum locum habet, nec ad haeredes ejus transit, quia poenalibus actionibus haeredes non tenentur, neque caeteri successores, condictio vero etiam contra haeredes furis instituitur, quia de instrumentis ablatis actione conveniri possunt tenentes. 4) Condictio furtiva contra eum, qui opem consiliumque furtum facientibus praestitit non datur, datur autem actio furti. Com. Reiszn.

§. 12. De poena furti commissi habetur Stat. l. 4. t. 2. §pho 10. scilicet, quod qui furtum fecerit et convictus fuerit, suspendatur. Cum vero durissima sit illa suspendii poena, nonnunquam relate ad casus furti obvios, solet ea saepius mitigari atque remitti a judicibus. Qui vero res sacras ex aede sacra surripuerit, sacrilegium ipsum committit, inque ignem conjicitur, apud romanos capite puniebatur. (puto legem hanc obsoletam esse) Notandum: cum res sacra ex loco profano, vel res profana ex loco sacro surripiebatur, apud romanos de jure eorum, non habebantur pro sacrilegio; jure statutali quoque furti actionem non vero sacrilegii habet.

§. 13. Res furto ablata a quocunque possessore, sive is in bona sive in mala fide sit, non refuso pretio vindicatur, et hoc est etiam de aequitate naturali, res enim furto ablata directe ad suum dominum redire debet, in quo haud deest animus possidendi. Quaestio heic expedienda se offert non leviter inter d. d. agitata: quid videlicet juris sit, cum tertius rei furtivae possessor eam alienet, antequam a domino conveniatur, an is, pretium rei furtivae sed jam divenditae, domino rei divenditae vero restituere teneatur? de malae fidei possessore nullum est dubium, nam qui scit rem alterius esse, atque tamen illam, tanquam suam vendit. furtum committit, l. 4. t. 2. §. 6. Stat. Sed de bonae fidei possessore major dubitatio superest. Negantium sententia verior videtur; cum enim pretium non succedat in locum rei, nec pecunia ex venditione rei furtivae profecta furtiva sit, non videtur quonam ex fonte actio adversus bonae fidei vendentem oriri possit. Unicum ca-

sum excipit Reiszner, si videlicet bonae fidei possessor majus pretium ex re furtiva redegit, quam quo ipse eam olim comparavit, tunc enim in tantum, in quantum locupletior est factus, domino et secundum naturalem aequitatem, et civilia jura obligatur.

§. 14. Possessor rei furtivae et simul deprehensae auctorem seu evictorem suum nominare debet, et hoc procedit etiam de jure romano. Si vero evictor seu venditor suus alienae jurisdictionis fuerit, sufficit eum ibi exhibere.

Sectio 2.

De injuria.

§. 15. Injuria accipitur vel generaliter, pro omni eo, quod non jure fit; vel specialiter, pro specie delicti privati aliqua. Generaliter itaque sumta injuria significatur omne id, quod non jure fit. Est autem injuria hoc in loco, delictum, quod dolo malo in alterius contumeliam admittitur; commune enim vitium est, ut aliqui ex petulantia morum, alterius praesentis vel etiam absentis bonae famae, verbis turpibus vel famosis scriptis detrahant, l. 4. t. 5. §. 1. Stat.

§. 16. Cum injuria delictum sit, sequitur dolum et animum injuriam inferendi hic requiri. Unde injuria nec a doli incapace, neque per jocum, neque a provocato ad iram committitur, ibid. §. 2. Ubi habetur: quod quidquid calore iracundiae vel fit vel dicitur, non ratum est prius, quam ex perseverantia apparuerit judicium animi fuisse.

§. 17. Injuria est vel realis vel verbalis. Verbalis fit vel verbis ore enunciatis vel scripto, et de hac verbali injuria tractant leges statutales in loco citato.

§. 18. Realis est, cum quis pugno pulsatus, fustibus caeditur, verberatur, verbo est, quae: facto qualicunque ignominioso perpetratur.

§. 19. Verbis ore enunciatis fit injuria, cum alicui convitium vel maledictum fit vel voce vel dicto. Scripto autem committitur injuria, cum ad infamiam alterius libellus, carmen, aut simile quid perficitur ab aliquo.

§. 20. Atrocissima hujus species est famosus libellus, quem veteres malum carmen, hodierni pasquillum dicunt, quo alicui infame crimen, aut alia quaedam contumelia objicitur, animo injuriam faciendi, cujus auctores jure civili romano poena capitali puniebantur.

§. 21. De poena injuriae aliquid. In fine §-phi 2-di tituli 5-ti l. 4-ti Stat. injurianti alium, injungitur deprecatio et mulcta lingvae emendae, cujus mulctae duae partes judici, tertia vero, parti laesae dependi et cedere debebit. Deprecatio sive palinodia sive recantatio eo in loco fiat ubi quis injuriam verbalem est passus. Habetur porro in §pho 1-mo tituli de injuriis verbalibus, id quoque: quod injuriantes tales, ob lingvae petulantiam, secundum laesae personae dignitatem et loci respectum puniantur, injuriae enim re, persona, tempore et loco atrociores judicantur, secundum tritum et vulgatum illud distichon: His tribus ex causis injuria dicitur atrox, facti, personae, vel ratione loci.

§. 22. Quodsi se mutuo convitiis affecerint, neuter eorum habebit injuriae actionem ad poenam, paria enim delicta mutua pensatione sol-

vuntur, sin autem alter coram judicio quaestus est, tunc judex ambas partes mulctabit pro merito, et in tali injuriarum actione convictus reus ultra senatum appellare non poterit.

§. 23. Notandum est: a causa laesae famae, principalem actionem posse impediri. Quid hoc significet, indigitat §. 8. t. 4. l. 1-mi Stat. nempe reus accusatus, seu in jus vocatus non potest actorem suum alia de causa coram judicio accusare, quousque lis pendens decisa fuerit, nisi in causa laesae famae, quae, principalem actionem actoris impedit.

§. 24. Actio injuriarum tollitur vel aboletur, morte et injuriantis et injuriati, remissione, nam injuriam remissam postea ex poenitentia recolere non licet. Remissio haecce praesummitur etiam ex lapsu temporis, sed quantum temporis requiratur, quoniam in legibus statutalibus nulla est mentio, suppleri debet e jure romano, ex l. 5. C. de injuriis, annus videlicet requiritur, intra quem, nisi actio haec moveatur, remissa videtur.

Sectio 3.

De damno.

§. 25. Damnum ita dictum ab ademtione seu diminutione patrimonii, est delictum privatum, quo, aliquis dolo malo, culpa vel injuria res alicujus quocunque modo confregit, ussit, laesit vel etiam rupit.

§. 26. Mentio damni hujus est in §-pho 5-o t. 9. l. 3. Stat. ubi habetur: si quis alteri damnum fecerit, quidve usserit, fregerit, rupe-

rit injuria, quanti ea res erit, in diebus 30 proximis, tantum aes domino rei tenebitur. Injuria, hic dicitur agere is, qui non jure sed contra jus hoc est, dolo vel culpa aliqua etiam levissima aliquid facit. Itaque injuria hic accipitur pro damno culpa dato, etiam ab eo, qui nocere noluit. Ideo furiosus cum suae mentis non sit, et infans hac actione non tenebuntur.

De pauperie per quadrupedem commissa.

§. 27. Juvabit hoc in loco de hac quoque materia juris aliquid agere. Est autem heic pauperies, damnum sine injuria facientis datum, nec enim potest animal injuriam fecisse dici, quod sensu caret.

§. 28. Si itaque quadrupes contra naturam commota, pauperiem fecerit, competet adversus ejus dominum actio noxalis, ita dicta, ut vel damnum refundat, vel animal, quod nocuit dedat l. 3. t. 9. §. 1. Stat. Si vero culpa domini vel alterius cujuspiam datum fuerit damnum, eo casu in factum actione tenebitur, ibid.

§. 29. Si fera instigatu alterius damnum dederit, contra eum instigatorem competet actio noxiae. Generaliter vero actio haec noxiae contra dominum locum habet, quoties contra naturam fera mota pauperiem dederit, nam qui injuriae occasionem praestat, ipse damnum dedisse videtur. Grotius equidem in libro de jure belli et pacis 2-do c. 17. §. 21. existimat aequitati jurique naturae non convenire, ut dominus ad damnum ab animali suo datum resarciendum obligetur, hanc ob rationem, quia casus fortui-

tus a nemine praestatur, neque damni dati reparatio exigi potest, nisi ab eo, cujus aut culpa intercesserit aut promissio de eo ferendo, atqui hoc in casu utraque causa deficit, scilicet, tam culpa, quam promissio etc. Aliud ejus argumentum est a filio et furioso ductum, qui si damnum dederint, neque pater neque curator, sine quorum culpa id accidit, ad reparationem obligantur, quantomagis igitur id in brutis animalibus obtineri debet.

§. 30. Verum enimvero nihil tam aequitati et juri naturae convenit, quam ut is, qui commodum ex aliqua re sentit, omnia quoque incommoda, quae ex eadem re redundant, ferat. Haec potissima ratio visa est doctoribus, propter quam dominus ad ferenda ab animalibus suis damna obligetur, etenim non solum culpa et promissio intercessa obligant aliquem ad damnum resarciendum, verum datur tertia etiam causa, videlicet utilitas ex re, quae damnum dedit, percepta, et quae necessitatem imponit nobis, ut incommoda quoque ejus feramus. Vide de hac materia Stat. l. 3. t. 9.

Titulus 16.

De obligationibus ex quasi delicto natis vel nascituris.

§. 1. Quasi delictum est factum illicitum sine dolo quidem, sed tamen non absque culpa, cujus tres occurrunt species: 1) Prima est judicis, qui per imperitiam male judicavit, et sic litem suam fecit, hoc est, ex judice fit reus,

datur enim actio, injusta sententia, laesis, adversus eum, etquidem actio male judicati, ad praestandum id, quod religioni judicantis aequum videbitur. Just. Inst. l. 4. t. 5.

§. 2. Ad hanc sententiam firmandam trahendus est §. 7. t. 9. l. 3-ii Stat. ubi habetur: quod imperitia, negligentia, nimia saevitia, et lusus noxius, ut et infirmitas culpae adnumerantur, cum affectare quis non debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem suam alii periculosam futuram. Praeceptoris quoque nimia saevitia culpae assignari debet, ibid.

§. 3. Secunda quasi delicti species est, dejectio vel effusio e coenaculo facta, scilicet, si in eum locum, ubi vulgo iter fit, dejectum vel effusum quid erit, quantum ex ea re, in corpore alicujus vel vestibus, vel alia re damnum datum factumve fuerit, tanti condemnabitur. Si eo ictu, homo peribit, sine dolo dejicientis vel effundentis, homagium mortui praestabitur.

§. Si vero hominis corpus ex eo ictu laesum vulneratumque fuerit, mercedes medicis praestitas, caeteraque impendia, quae facta sunt in curationem, praeterea et operas, quibus caruit, laeso compensabit. Quodsi nullum erit iter, tunc dolus duntaxat praestatur, si immisit in eum, quem viderit transeuntem. Nam culpa ab eo exigenda non est, cum divinare non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus fuerit.

§. 5. Tertia species quasi delicti est, damnum in navi, caupona stabulo seu diversorio datum. Etenim nautae, caupones, stabularii, si dolo vel furto eorum, quorum opera utuntur, damnum receptis inferatur, quasi ex delicto ob-

ligantur, modo ipsi nihil fraudis committant, eo enim perpetrato, ex vero delicto tandem convenientur. Inst. Just. l. 4. t. 5. §. 3.

§. 6. Species culparum quarundam recensentur heic ex §phis 8 et 9. l. 3. t. 9. Stat. desumtarum. De imperitia actum est in §-pho 1-o h. t. Porro si incendium fiat fortuito, indiget id venia, nisi tam lata culpa sit, ut dolo sit proxima. Si in viis regiis et earum pontibus, jumentis itinerantium aliquid damni eveniat, (sine tamen agentis culpa) officiales loci latissimam culpam praestabunt; quilibet enim magistratus seu jurisdictio in suo territorio muniat, sarciatque vias, et earum pontes sedulo.

LIBER QUARTUS.

DE ACTIONIBUS, SEU DE PARTE PRACTICA JURIS TRANSSILVANICO SAXONICI.

Titulus 1.

De actione in genere.

§. 1. Expositum est hactenus de duobus prioribus objectis juris, videlicet de persona et re, superest tertium juris objectum, quod est ipsa actio, definiturque, quod sit jus persequendi in judicio quod sibi debetur.

§. 2. Dividuntur actiones generali divisione in reales et personales. Actio realis seu in rem, est qua quis ab alio possessore petit, quod suum est, quamvis ille ei nullo jure sit obligatus. Actio personalis seu in personam est, qua quis agit cum eo, qui sibi obligatus est, vel ex contractu, vel ex delicto, ad hoc, ut det aliquid, vel ut faciat. De obligationibus ex contractu, vel ex quasi contractu, ex delicto vel ex quasi delicto nascentibus dictum est supra.

§. 3. Actiones proponuntur judiciis, judicia vero exercentur in foris judicialibus. Itaque

Titulus 2.

De foris judicialibus.

§. 1. Forum judiciale sive judiciarium est, ubi actiones proponuntur ad dijudicandum, seu convenientius definiendo, forum est exercendarum litium sedes seu tribunal, a litigantibus necessario adeundum.

§. 2. Forum dividitur 1) In *ecclesiasticum*, in quo judex ecclesiasticus, et in *seculare*, in quo judex laicus jus dicit. 2) In *externum*, quod appellatur forum fori, in quo proceditur per actus externos et secundum allegata et probata, et in *internum*, quod dicitur forum poli aut conscientiae vel animae, in quo praecise juxta internam rei conscientiam judicatur.

§. 3. Fora judiciaria in natione saxonica sunt sequentia: 1) Fora complanatoria pagensia, unde nullae causae possunt deduci ad judicatum oppidi vel civitatis sine attestato pagensi super eo: quod tentata sed non coalita fuerit complanatio inter partes litigantes coram judice pagi. 2) *Judicatus*, et hoc forum est forum primae instantiae. Fori hujus existentiae vestigium reperio in §pho 3-o t. 1-mi l. 1-mi Stat. 3) *Senatus* seu alio nomine magistratus, hujus quoque vestigium reperitur in §pho modo citato. 4) 9. *Universitas* l. 1. t. 11. §. 1. 5) *Gubernium Regium.* 6) *Tronus*, seu curia principis.

§. 4. Universae civium contraversiae debent agitari coram judicatu ipso, qui constat in quovis circulo, e praeside et actuario, praeses est sedis ju-

dex (Stuhls-Richter,) actuarius vocatur judicialis secretarius. Excipiuntur a foro judicatus causae criminales, quia in his causis, judicatus extra scitum et cognitionem senatus capitalem sententiam nec ferre solus nec exequi debet, l. 1. t. 1. §. 4. Stat. hinc judicatus officium est, ut si post institutam investigationem viderit causam esse criminalem, transcribat magistratui, prouti etiam transcribit.

§. 5. Forum senatus seu magistratus consistit juxta novissimam regulationem Gyürkianam ex 8 personis, votum decisivum habentibus et uno ordinario notario cum voto solummodo informativo, interque illas 8 personas adsunt judex regius, judex sedis, villicus (Folnagy) et reliqui senatores.

§. 6. Datur adhuc forum divisoratus in oppidis et civitatibus, quod constat e praeside (extra gremium magistratus) qui est etiam inspector pupillorum, uno assessore e juratis civibus senioribus, et uno actuario. Ab hoc foro appellatio datur ad forum magistratus, quia divisores ordinarii (divisoratus) sunt in materia divisionis judices ordinarii, a judicibus vero ordinariis j. §. 3. t. 1. l. 1. Stat. ad senatum fit appellatio, quod vero divisores sint in materia divisionis ordinarii judices, patet e §pho 2-o t. 4. l. 2. Statutor.

§. 7. Datur adhuc forum triduale saxonicum, ita dictum ab anno 1805 13-a mensis septembris, quo visum est sacratissimae suae majestati clementer decernere: ut articulus provisionalis 95-us anni 1791. relate ad violentas sylvarum succisiones praepediendas conditus ad nationem etiam saxonicam extendatur, et in casibus invasionis et devastationis sylvarum de-

prehensi coram foro triduali saxonico, juxta articulum praedictum celebrando judicentur et puniantur.

§. 8. Videndum, quot modis sortiatur inctus aliquis seu reus forum, seu quot modis subjiciatur jurisdictioni judicis? Quinque modis, quinque enim sunt modi ordinarii sortiendi forum: 1) ratione personae. 2) solitae residentiae. 3) delicti. 4) contractus. 5) rei sitae.

Titulus 3.

De judice, actore et incto.

§. 1. In omni judicio seu in omni foro triplex requiritur persona, actor, inctus et judex. Triplex et non tres ad intelligendum id, quod nomen judicis, actoris et rei non sit nomen personale sed civile, denotans officium et munus cujuslibet, quod semper triplex erit, etiam si personae plures sub nomine cujuslibet comprehendantur.

§. 2. Ordinarie triplex persona requiritur in omni judicio, nam ingerens, evictor, superevictor et testes per accidens ingrediuntur judicium, cum et sine his possit esse, generaliter et ordinarie loquendo; potest enim proba institui per instrumenta litteralia, vel causa et negotium adeo notorium est, ut nulla indigeat probatione, et alioquin etiam ingerens fit actor, evictor vero et superevictor incti personam gerunt.

§. 3. Est autem judex, singulariter vel collective sumta persona, ad causam jurisdictioni suae subjectam, juxta leges et consvetudines pa-

triae discutiendam, publica auctoritate aucta ac praedita; dicitur judex, quasi jus dicens aut jure disceptans, id est justitiam populo juste et secundum leges administrans, et fere dividitur in eas species, in quas forum, quodlibet enim distinctum forum distincto exercetur judice.

§. 4. Requisita judicis sunt sequentia: ut sit peritus legum, sapiens et litterali scientia praeditus, quia ignorantia judicis est calamitas litigantis, timens Deum, adeoque verax et justus, quia in sede Dei sedere et locum ejus tenere reputatur. Ne sit avarus, quia avaritia munera affectat, et quo affectus ducit, eo mens et ratio deviat, passionibus animi carens, ne moveatur precibus, amore, odio nec ullo personarum respectu, nam judex etiam si tulerit sententiam justam, tamen tenetur in foro conscientiae, si id fecerit potius odio, quam amore justitiae. Plura etiam esse requisita non nego, sed omnia huc adferre non est nostrum.

§. 5. Judicis officium consistit in eo potissimum, ut aliter non judicet, quam quod legibus aut constitutionibus aut moribus proditum est, l. 1. t. 1. §. 5. Stat. In quibus autem causis scriptae leges non haberentur, id sequatur oportet, quod moribus et consvetudine introductum est, nam longa consvetudo, quae utilitates publicas non impedit, pro lege servatur, ibid. Quum tamen neque leges, neque senatus consulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, tamen cum in aliqua causa eadem subest ratio, tunc judex ad similia procedere atque ita jus dicere debet. His ita visis, evidens est, judicem a jure recedere non posse, non enim supra, sed infra leges est, et ligatur lege, obligaturque non de lege, sed secundum legem judicare.

§. 6. In illis porro casibus, ad quos decidendos neque leges scriptae, neque consvetudo, neque analogia (similiter judicare) sufficerent, judex praesummere debet jus imperatorium seu romanum.

§. 7. Demum judices oportet inprimis rei qualitatem plena inquisitione discutere, et utramque partem interrogare, num quid amplius addere desiderent, quod alterutri partium deserviat, ibid. §. 8. Decretum regium via regii gubernii, numero guberniali 3,369 anni 1799 publicatum, superstructum est huic §pho, et jubetur: ne in administratione justitiae a spiritu legum municipalium, l. 1. t. 1. §pho 8. summarium procedendi modum praescribente arbitrarie recedatur.

§. 8. Locum esse censeo, de arbitris aliquid adferre, sunt enim hi quoque judices, in quos partes litigantes compromittunt, et quod illi decreverint se observaturos obligant, et post haec arbitratui illorum stare coguntur, l. 3. t. 8. §. 1. Stat. Si vero poena adjecta est, ut is, qui parere noluit, poenam solveret, arbitrium tollitur, soluta poena.

§. 9. Arbitri hi non possunt quidlibet statuere, nec in qualibet re, nisi de qua compromissum et quatenus compromissum est. Compromissum vero ad similitudinem judiciorum redigitur, et ad finiendas lites pertinet. Si cujus arbitrium ita pravum est, ut manifesta iniquitas ejus appareat, corrigi potest per judicium bonae fidei, bona enim fides exigit, ut arbitrium tale praestetur, quale convenit viro bono, ibid.

De actore.

§. 10. Actor ab agendo dictus est, qui actionem proponit, et partem adversam ad judicium provocat; qui causam movit, dicitur actor

principalis, qui vero expost accedit, minus principalis seu ingerens nuncupatur. Alter est legitimus, alter illegitimus. Legitimus dicitur, cui actoratus competit, est autem actoratus, jus acquirendi ab altero id, quod judicialiter consequi nititur.

§. 11. Competentia actoratus consistit principaliter in tribus: in jure, aetate et conditione. *In jure*, id est, ut res acquisitioni substrata spectet ad actorem. *Aetate*, ut in judicio agere volens sit legitimae aetatis, quare pupilli propria in persona agere non possunt. *Conditione*, ut habeat conditionem lege requisitam, ex defectu hujus agere non valet filius sub patris et nepos sub avi potestate existens, ratione bonorum, cujuscunque sit aetatis.

§. 12. Officia actoris esse possunt sequentia: 1) Actor forum rei sequatur, forum autem habet reus ibi, ubi domicilium, exceptis debitis liquidis et confessatis, pro quibus, ubicunque locorum deprehensus fuerit, extra ordinem conveniri potest. In causis autem criminalibus reus in loco delicti conveniri debet nisi sit profugus, tunc enim ubicunque comprehensus fuerit, in jus vocari, et si criminis intentati convictus fuerit, plecti potest, l. 1. t. 4. §. 1. 2-o Si de fundo et non de persona contravertitur, tunc actor actionem suam, coram eo judice debet intendere, sub cujus jurisdictione fundus est, etiamsi dominus fundi alterius jurisdictioni subjaceat. 3) Proponere debet actor actionem suam saxonico idiomate perspicue, ut inctus conventus intelligere possit, et sciat quid actori respondendum sit. 4) Probare debet suam actionem, quia secus inctus absolvetur, et actor inctum adstringere non potest, ut in contrarium

demonstret, cum per rerum naturam factum negantis est probatio nulla, si vero inctus ultro probare desideret, audiendus est. 5) Non debet actori licere, quod incto non permittitur, nam favorabiliores incti potius quam actores habentur.

§. 13. Si destitit actor agere, amplius in eadem causa accusare prohibetur, §. t. 4. l. 1. Stat. sed quantum temporis requiratur ad id, ut actor desistere agere reputetur, non est expressum.

§. 14. Actor in judicio personaliter comparere et propria in persona agere regulariter non tenetur, quia potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.

De incto.

§. 15. Reus est altera pars litigantium et correlativus ad actorem. Denominatur a re, quae petitur, etiam si sceleris non sit conscius. Incattus, inctus nuncupatur propterea quod in causam sit attractus. Definitur: quod sit omnis illa persona, contra quam aliquis, quovis jure ratione, et praetextu quarumcunque rerum aut factorum, aut dictorum agit.

§. 16 In jus vocatus debet comparere, secus a competente judice mulctabitur, et quidem si ad terminum praefixum per se vel per procuratorem suum non comparuerit, floreno uno mulctabitur, qui ad cassam allodialem dabitur; si post secundam citationem etiam non comparuerit, duos florenos dependet, si vero ad tertiam citationem, vel ad unicam peremtoriam (quae regulariter facta pro tribus sufficit) contumax fuerit, causa actori adjudicabitur hoc est in totali actoris actione convincitur inctus, nisi absen-

tiae suae justum et legitimum impedimentum obstetisse allegaverit et comprobaverit, l. 1. t. 3. §. 1.

§. 17. Quodsi actor fors causae suae diffisus non compareat, inctus comparens petet a judicio ut actor in expensarum refusione condemnetur. Ibid. §. 2.

§. 18. Pro contumace habetur ille quoque inctus, qui dolo se occultat, ut conveniri personaliter non possit.

§. 19. Si civis, inquilinus, aut famulus aliquem in judicio accusaverit, reus seu inctus non potest actorem alia de causa coram judicio accusare quousque lis pendens decisa fuerit, excepta causa laesae famae, quae principalem actionem impedit. Item si justam inctus habeat compensationis exceptionem l. 1. t. 4. §. 8.

§. 20. Si reus conventus exceptione utatur, illam probare tenetur, nam reus in exceptione actor est. Quilibet inctus citari ad judicium debet. Videamus aliquid

De citatione.

§. 21. Citatio est in jus seu judicium vocatio, mandato et auctoritate judicis legitime facta. Mandatum hoc declaratur per judicis sigillum citatorium, per quod citandus ad horam per judicem ipsi constitutam citatur, l. 1. t. 2. §. 2.

§. 22. Citatio insinuanda est incto seu reo citando praesenti personaliter, sive in aedibus propriis seu in alio quocunque loco, unde illi citatio innotescere possit; si autem dolose se occultet, satis est si ad domum (de domo) citetur. Ibid. §. 3.

§. 23. Incto citato, coram judicio comparenti 14 dies dantur, ut interea concordet, sin minus ut tandem ad eum terminum ad actionem actoris respondeat. Si autem peregrinus civem, vel inquilinum ad judicium citaverit, non 14 dierum sed tridui terminus datur ad deliberandum et respondendum: sic quoque in causis domesticorum, moram non ferentibus. Ibid. §. 5.

§. 24. Quid agendum in casu, ubi civis, vel aliquis alius colonum in pago residentem citare vult? accipiat sigillum citatorium a judice civitatis, vel oppidi cujus jurisdictioni citandus subjectus est, ad locum habitationis incti deferet, et per villicum ejus loci citari eundem curabit ad ordinarium judicem. Ibid. §. 6.

§. 25. Fieri potest, ut I. citatus se comparitürum promittat, cum tamen expost valetudine adversa tempestate, vi fluminis, servitiis dominicis, vel alia justa causa prohibeatur, tunc exceptione juvabitur. §. 8.

§. 26. Si persona in jus tracta vocata, servilis et vaga aliqua persona fuerit, haereditates non habuerit, consequenter satisdare non poterit, talis persona fidejussorem dabit de judicio sisti usque ad causae decisionem. Si vero bona immobilia habuerit, quibus satisdare poterit, ad dandos fidejussores cogi non potest, praeterquam in causis criminalibus, ubi accusatus etiam bona immobilia habens, fidejussores sese judicio sistendi causa dare cogitur, ibid. §. 4.

Titulus 4.

De procuratore et plenipotentiario.

§. 1. Procurator est talis persona, quae ad causas fideliter gerendas, prosequendas juramento obstringitur, nunc coram inclyta tabula regia, unde obtinere debet stallum agendi.

§. 2. Quae sint requisita legalia ad id, ut aliquis in numerum procuratorum cooptari valeat, indigitant §phi reg. tab. instructionis 256 et 257; summa requisita sunt, ut jus patriae cognitum sibi habeat, et juramentum deponat.

§. 3. Notandum est: anno 1799 28-a novembris emanavit decretum regium, via regii gubernii publicatum, tenore cujus, nullus ad stallum agendi in gremio nationis saxonicae admittitur, qui inter consvetas tabulae regiae testimoniales semet una non legitimaverit, quod rigorosum super legibus saxonum municipalibus et praxi judiciaria, in natione vigente coram I. universitate ejusdem inclytae nationis cum approbatione subiverit examen; primus, qui huic decreto regio se obedientem praestitit, ego sum, in anno 1800.

§. 4. Plenipotentiarius dicitur is, qui negotia aliena, absente principali vel etiam praesente in et extra judicium juridice et politice tractandi jure, et amicabiliter componendi mandato sui principalis habet potestatem. Plenipotentiarius constituitur apud fora judicialia, cujus constitutio etiam improtocolatur.

Titulus 5.

De probationibus in genere.

§. 1. Hactenus vidimus personas in foris suis litigantes, et illarum adjutores, quales sunt procuratores et plenipotentiarii, jam videamus etiam de probationibus, quibus litigantes actiones suas fulcire debent. *Probatio* definitur: quod sit rei contraversae per legitimos modos facta ostensio.

§. 2. Modi autem, seu species probationis sunt octo. 1) Per confessionem rei seu incti propriam. 2) Per praesumtionem. 3) Per testes. 4) Instrumenta litteralia. 5) Evidentiam seu notorietatem facti. 6) Per oculatam revisionem. 7) Per jusjurandum. 8) Per torturam.

§. 3. Dicitur quidem res probari etiam per factum, per confessionem rei propriam, publica notorietate, sed stricte loquendo non sunt probationes, cum quae per se constant, solum allegantur, et potius est relevatio ab onere probandi, quam probatio, et inducit notorietatem.

§. 4. Omnis quaestio probanda est, aut facti, aut juris sit. *Quaestio facti* est, cum de facto quaeritur, an revera patratum sit? *Quaestio juris* est, cum quaeritur, quid de facto tali jura statuant, vel brevius quaeritur an fecerit? et si fecit, qua poena dignus?

§. 5. Probatio dividitur in *plenam* et *semiplenam*. Plena est, quae facit plenam fidem, seu moralem certitudinem ponit ita, ut si in judicio afferatur, judex sententiam definitivam

pro taliter probante possit ferre. Talem faciunt duo testes omni exceptione majores, instrumentum publicum vel authenticum, oculata revisio. Semiplena est, quae probat quidem, non tamen sufficienter, nec sufficit regulariter, ut ex illa judex ferre possit sententiam, talem facit unus testis, fassio extrajudicialis.

§. 6. Proba regulariter incumbit actori, quia probare debet is, qui aliquid affirmat. Dictum est regulariter; nam 1) ratione exceptionis, excipienti reo incumbit proba, quia formaliter affirmat aliquid, l. 1. t. 4. §. 6. 2) Si reus ipse, fiducia sui juris onus probandi in se assumat, ibid. §. 5. 3) Dum reus litem qualificative contestatur. 4) Si actor esset privilegiatus ab onere probandi, ut fiscus regius. Decr. Tr. p. 2-ae t. 39.

§. 7. Quantum probet fama? fama licet sit constans, uniformis, ortum habens a personis fide dignis, et legitime probata; tamen non probat semiplene, quia est simplex auditus, simplici autem auditui in jure locus non datur. *Rumor* minus probat, quia tantum suspicionem inducit.

Titulus 6.

De praesumtione.

§. 1. *Suspicio* est levis opinio contra aliquem de re aliqua per ipsum quasi patrata, ex propriis rei illius antecedentibus insitis, vel etiam consequentibus illam circumstantiis concepta, aeque se habens ad verum ac ad falsum, unde fere nihil probat, cum sit nuda opinio.

Praesumtio, autem quasi antesumtio, quando nempe ante legitimas probationes aliquid pro vero sumitur. Definitio: quod sit anticipata de re dubia opinio, ex indiciis per rerum circumstantias frequenter evenientibus desumta, aut ex legum determinatione procedens. Fundatur igitur in indiciis, seu signis, quae, quo majora et veritati vicina esse apparent, eo fortiorem efficiunt praesumtionem. St. Huszti.

§. 2. Praesumtio alia dicitur *hominis* alia *juris*. Hominis est: quae formatur ex indiciis a viro prudente pro vel contra aliquem, jure tamen expressa non est v. g. Si Nero fuit inimicus Diocletiani, et iste noctu occisus comperitur praesente Nerone, Nero praesumitur occidisse illum. Juris praesumtio est, quae jure inductum est, sic jura praesumunt quemlibet esse bonum, donec probetur malus, sic nemini adesse sensus infra legitimam aetatem, ut jura sua gubernare valeat.

§. 3. Utraque subdividitur, hominis quidem in *probabilem*, *gravem*, seu discretam, quae fundatur in indiciis verisimilibus, et cum effectu frequenter conjunctis, ut cum puella praesumitur parum verecunda, quae cum viris frequenter conversatur; et in *violentam*, quae etiam *vehemens* vel *vehementissima* dicitur, haec oritur ex indiciis vehementibus, et cum re, vel facto, quod praesumitur ordinarie et fere semper conjunctis, ita, ut prudenti dubio quasi locus non amplius supersit, ut si nudus cum nuda in loco obscuro, vel in eodem lecto, hora suspecta deprehendatur, praesumitur fornicatio.

§. 4. Praesumtio juris alia est simpliciter talis, et *juris tantum*, quam quidem jura faciunt, sed ei ita non assistunt, ut non admitta-

tur proba in contrarium, alia autem *juris* et de *jure*, quam non tantum faciunt et exprimunt jura, sed etiam super praesumto aliquid assumunt, ac ita habent pro veritate, ut nullum in contrarium directe admittant probationem, ut dum quis obligatorias dat super mutuo, de jure praesumitur talem accepisse rem alienam, et nec proba admittitur tali, in contrarium directe. Dictum est *directe*, nam si velit probare, quod cum dederit, ebrius fuerit, vel ex metu gravi etc. id ipsi licebit.

§. 5. Quaeritur jam, an praesumtio sit instar probationis? proprie quidem non est probatio, quia haec sensibus, nimirum visu, auditu percipitur, praesumtio vero ex facti circumstantiis, per discursum rationis colligitur, est tamen loco probationis, et ejus effectum habet.

Titulus 7.

De modo probandi per testes.

§. 1. Usitatissima probandi species fit per attestationes testium, testis autem judicialis definitur esse persona idonea, ad instantiam partis, et competentem judicem citata, et examinata, de re contraversa fidem faciens. Attestationes sunt asseverationes testium super aliquo facto.

§. 2. Testis potest esse omnis, qui nullo jure prohibetur a testificando, prohibentur autem jure naturali, qui laborant defectu mentis, ut infantes, fatui, furiosi, et mentecapti, et insani, l. 1. t. 6. §. 1. Surdi de auditu, caeci de visu testes esse non possunt; quia, qui caret

sensu, caret etiam notitia rerum sensibilium illius generis. Caecus autem de auditu, et surdus de visu testificare, mentemque suam explicare potest, quemadmodum respondere in judicio.

§. 3. Prohibentur jure positivo 1) personae infames, quaeve publicis judiciis damnatae sunt, adeo, ut nec de negotio ante damnationem facto possunt testificari. 2) Qui manifestis criminibus notati sunt, utpote adulteri, perjuri, fures. 3) Impuberes, qui annum 14-tum non excesserunt, propter immaturitatem judicii. 4) Testes parti adversae infensi et capitales inimici. 5) Parentes et liberi invicem adversus se. 6) Frater pro fratre, nisi ab altero fratre accusetur. 7) Consangvineus, pro consangvineo. 8) Gener et socer invicem. 9) Maritus et uxor, pro se invicem. 10) Illi testes, quos accusator de domo propria producit; nam non videntur idonei testes esse, quibus imperari potest, ut testes fiant, excepto casu adulterii, et veneficii alteri conjugum praeparati. 11) Patroni in causa, cui patrocinium praestiterunt. 12) Causam famosam patefaciens, et actori litis causam praebens, secus est in civili causa, ibid. §. 1, 2, 3, 4, 6, 8.

§. 4. L. 1-mi tituli 6-ti, §-pho 6-o recensentur personae, quae ob consangvinitatem, et affinitatem ad testimonium perhibendum non admittuntur. Additur etiam: istas personas nec testes esse, nec compelli posse ad perhibendum testimonium.

§. 5. Prohibentur adhuc testes in certis causis: 1) Quibus a causa seu re, quae probanda est, commodum, vel incommodum dependet. 2) Incolae loci in causa ratione territorii sui. 3) De rebus

ante 60 annos gestis prohibetur omnis ob defectum memoriae, quem lex in ejusmodi senibus praesummit. 4) Socius criminis in causis natura sua non adeo occultis, et reipublicae non, vel non valde perniciosis. 5) Testis inconstans pro utraque parte examinatus difformiter fatens, in causa illa pro neutra parte acceptandus, nisi occasione perlectionis fassionis, semet in continenti correxisset. 6) Quilibet in causa propria, quia nemo sibi satis. 7) Judex in causa, quam judicat, advocatus, item plenipotentiarius in causa, quam gerit et defendit, ratio est, quia hi pro una eademque persona habentur cum principale litigante. 8) Membrum communitatis in causa tali, ex qua in singula communitatis membra redundat commodum ex ejus testimonio, non autem dum in utilitatem communitatis qua talis, excepto, ut supra casu territorii. Licet jura haec in codice legum minus habeantur, observari tamen posse puto, ratio enim ipsa svadet efficacissime, et ratio legem commendare solet.

§. 6. In negotio alieno plures testes ex una domo adhiberi non vetantur: pater ergo et filius, duoque fratres, testes utrique in eodem negotio fieri possunt, l. 1. t. 6. §. 5.

§. 7. Qualiter testes examinari debeant? coram quo? de his quaestionibus fuse satis et perspicue habetur in titulo 5-o libri 1-i Statutorum, quare operae pretium erit studiosos illos relegare.

§. 8. Quas probationes litigantes habent ad articulos suos, seu ad utripuncta sua, illas producere debent ante publicationem seu perlectionem testimoniorum; posteaquam enim attestationes testium coram judicio publicatae, seu

perlectae fuerint, deinceps neutra pars ad ulteriorem probationem admittetur coram eodem judicio, secus si fiat appellatio, l. 1. t. 5. §. 13. Hinc videri potest esse in inclyta natione saxonica peculiare forum appellatorium, ubi litigantes novis argumentis ac documentis utendi habent facultatem, quali foro peculiari provisam esse, recognovit excelsum regium gubernium decreto suo anno 1798. 16-a martii nro 647. ad inclytum magistratum Sabaesiensem exarato.

§. 9. Notandum est de poena testis evocati non comparentis, et per contumaciam absentis, esse hanc poenam arbitrariam, quum in lege hoc solummodo exprimatur, quod talis testis mulctatur a judice, sed quali poena, de eo nihil est proditum.

§. 10. Data est licentia cunctis judicibus absque ullo praescriptionis obstaculo, animadvertendi in testes, quorum voces falsitate, vel fraude non carere perspexerint. Veteri consvetudine receptum est, ut perjurium una lateris costa puniatur, quae 20. florenis redimitur.

§. 11. Testibus evocatis sumtus competentes praebentur per eos, per quos postulati et vocati sunt.

§. 12, Notandum est: lite nondum contestata ad testium receptionem procedendum non est, et si recipiantur, non valet; nisi quis ad futuram rei memoriam producere vellet. (Litis contestatio autem est; dum inctus ad actionem actoris affirmative, negative, vel qualificative respondet). Qui sint vel esse possunt casus illi, ob quos testes recipi possunt ad futuram rei memoriam, vid. Statutor. l. 1. t. 8.

Titulus 8.

De modo probationis per instrumenta.

§. 1. Per instrumentum literale intelligitur scriptura ad faciendam judici fidem, et ad aliquid probandum legitime confecta, dicitur ab instruendo, quod hominum mentes instruat. Aliud est *publicum* et authentice factum, auctoritate publica, aut a persona publica, qua tali vel in judicio, cujusmodi sunt acta *sedium* judiciariarum, magistratuum, officiolatuum; aliud est *privatum*, a privatis, publica nempe auctoritate non fungentibus, sub privatis sigillis factum.

§. 2. Ex instrumentis privatis, aliqua quoad effectum probandi vocantur authentica, quia vim probandi publicis parem optinent, talia esse possunt: acta publici officialis cujuscunque quoad ea, quae facit vi officii, quaelibet literae contractuales privatim, et sub privatis sigillis legitime initae. His opponuntur instrumenta privata non authentica; talia sunt: libri privati v. g. rationum libri conventionum initarum, inventaria, seu regestra privata, in quibus descripsit paterfamilias accepta et erogata, mercator merces emtas et venditas, regestrum itaque negotiatorum et opificum ad probationem sibi debitae quantitatis solae non sufficiunt. Ejusdem juris est, si in ultima voluntate defunctus certam pecuniae quantitatem, aut etiam res certas sibi deberi significavit, l. 1. t. 7. §. 3.

§. 3 Si debitor creditori chirographum seu literas obligatorias dederit, et accusatus in judicio literas a se datas, aut scriptas non negabit, talia instrumenta plenam habebunt contra eundem probationem. Similem vim habent literae missivae usitato sigillo obsignatae (sigillum enim literas confirmat, et corroborat) si in his expresse contineatur obligatio debiti ejus, qui literas scripsit, aut misit. Ibid. §. 1.

§, 4. Instrumentorum talium amissio creditoribus non oberit, si modo manifestis probationibus convicerint debitores crediti. Sicuti autem iniquum est, instrumentis vi ignis absumtis, debiti solutionem abnuere, ita non facile credendum est casum conquerentibus, nisi aliis argumentis dictis fidem faciant. Porro qui crediti causa convenitur, conveniendus erit authentico, non vero alicujus scripturae exemplo, seu non copia alicujus probatorii instrumenti.

Titulus 9.

De oculata revisione.

§. 1. Licet de hac juris materia nil in codice legum habeatur, e re tamen erit, de hac etiam materia aliquid huc adferre; cautum enim habetur, l. 1. tit. 5-ti §pho 10-o. ut judices omnes circumstantias, quae causas reddunt perspicuas et illustrant, pro ipsorum prudentia exquirant; atqui oculata revisio ad id valde deservit, quia quod visu noscitur verissimo comprobatur testimonio.

§. 2. Est vero o. r. species probationis, vicina probationi per testes, quia plerumque oculate simul et per testes inquiritur veritas rei, oculata dicta ideo, quod beneficio oculorum, seu visionis realis fit. Definitur: quod sit veritatis de re contraversa visibilis ostensio, seu: visu percepta veritatis cognitio.

§. 3. Si quaeretur; utrum quis falcando pratum excesserit limites sui, et falcem suam etiam in pratum alterius vicinum inmiserit, tunc attestatione testium probabitur, qui sint limites, et ductus metalis inter duo prata; oculata autem revisione demonstrabitur illud falcando limites prati sui excessisse. In contraversia territoriali testes jurati demonstrant signa metalia, et attestantur, quae possessio quousque usurpet, judex vero visu oculorum cognoscit, quae pars excesserit limites; ab uno signo metali ad aliud visu cognoscendo ductum genuinum.

Titulus 10.

De jure jurando.

§. 1. Jusjurandum, quod in defectu aliarum probationum locum habet, est invocatio divini nominis in testem et confirmationem alicujus rei. Ut valeat, requiritur: 1) Capacitas personae, a qua juramentum exigitur, quam ponit rationis usus, capaces autem sunt jurare hac ratione illi, quos testes agere supra dictum, non igitur infames, praecipue perjuri, excommunicati, inpuberes, etiamsi hi sponte se offerrent in judicio, quia deest usus rationis. 2)

Intentio invocandi Deum in testem, quae ex verbis juxta formulam juramenti depositi prolatis praesummitur per judicem. 3) Ut fiat forma debita. 4) Requiritur res honesta et licita, si juramento aliquid promittatur, quia turpia sub obligationem non cadunt. Unde requiritur ex parte materiae, ut tendat ad bonum, non contineat damnum vel praejudicium alterius; nam alias et jurando quis peccaret, et implendo crimen crimine cumularet.

§. 2. Dividitur juramentum in *judiciale*, quod praestatur in judicio, et quod in judicio ab actore reo, judice probante defertur, et *extrajudiciale*, quod extra judicium; tertium est *necessarium*, quod judex defert, et necessitatem imponit. Extrajudiciale vocatur absolutum et *voluntarium*, juramentum etenim si alter ex litigatoribus sine cognitione judicis jusjurandum detulerit, is, cui delatum est, potest id suscipere vel etiam adversario referre, l. 1. t. 9. §. 2.

§. 3. Quando et cui parti, incumbat praestare juramentum? Ad hanc quaestionem cum compilatore jurium statutalium ita respondetur: productis probationibus, quae in causa adduci poterant, tum demum pro ratione causae, et aequitatis per sententiam judicis pro pleniori probatione, actori vel reo jusjurandum defertur, propter semiplenam nimirum probationem. Si actor in vim probationis aliqua adduxerit, non tamen sufficientia, sed tamen talia, quae suspicionem afferent reum debere, tunc in supplementum semiplenae probationis, actor propior erit ad probandum, juramento suo corporali, quam reus ad evadendum. Si vero aliquis civium occasione debitorum, aut aliarum rerum, per aliquem in judicium tractus fuerit, et nulla

probatio contra eum per actorem produci potuerit: reus, si negaverit actionem, sine juramento absolvetur.

§. 4. Quoties jusjurandum a judice defertur, tempore delationis, non vero praestationis appellandum est.

§. 5. Causa jurejurando ex consensu utriusque partis, vel adversario inferente, delato et praestito vel remisso decisa, retractari non potest, nec perjurii praetextu.

§. 6. In §pho 7-o tituli 9-ni libri 1-mi habetur de juramento, occasione abjurationis rerum furto subtractarum praestando, scilicet si quis asserat rem furto sibi subtractam esse, tunc is semet septimus juramento praestito, suam esse comprobare debet, oblationem vero jurisjurandi in duplo judices non debent admittere, ne praetextu uberioris probationis, ansa perjurio praebeatur.

§. 7. Anno 1784 14-a maji exaratum est decretum guberniale hac in materia, quod regulas directivas exacte observandas praescripsit, In hoc decreto puncto 6-o talia de inclyta natione saxonica verba leguntur: „Sicubi autem ejusmo„di reabjurationis casus sese in sedibus, distri„ctibusque saxonicis exererent, in his juxta le„ges nationis saxonicae municipales proceden„dum erit. Notandum secundum leges statutales reabjurationi locus non datur.

Titulus 11.

De tortura.

§. 1. Tortura etiam relata est ad modos probandi, describiturque, quod sit cruciatus corporis ad indagandam per confessionem rei veritatem, ex mandato judicis, medio carnificis exer-

citus. De remedio hocce indagandae veritatis, nihil juvat dicere, nisi id, quod sublatum est, rescripto regio anno 1793 die 24-a aprilis emanato.

Titulus 12.

De sententia.

§. 1. Posteaquam partes collitigantes, ultro citroque suas probationes et allegationes verbis, vel scriptotenus, secundum naturam videlicet processum, proposuerunt, concludere solent; conclusionem autem allegatorum sequitur sententia, sic dicta, quod judex, quid de re proposita sentiat, sententiam ferendo et pronunciando declaret; unde sententia definitur, quod sit pronunciatio judicis, continens decisionem causae contraversae.

§. 2. Observare debent specialiter judices, ut sententia lata, praesente utraque parte, recitetur, ut quae lata fuerit sententia penitus cognoscant, contineatque condemnationem unius partis, et absolutionem alterius, quia inaudita causa quemquam damnari aequitatis ratio non patitur, l. 1. t. 10. §. 1.

§. 3. Sententia, si ex falsis allegationibus contra absentem feratur, ipso jure nulla est.

§. 4. L. 1. tituli 10-mi §-pho 3-o dicitur: rescripta (imperantium) contra jus elicita ab omnibus judicibus refutari posse etc. Puto §-phum hunc ita intelligendum esse, quod scilicet, rescripta contra jus elicita, quae sententiam aut ejus executionem impedirent, minime in jure valeant, salva tamen aliorum opinione.

§. 5. Effectus sententiae seu rei judicatae est: 1) quod omnia praesummantur legitime acta. 2) Faciat jus inter partes. 3) Est tantae authoritatis, ut ei standum sit.

§. 6. Sententia intra debitum tempus non appellata censetur approbata, et transit in rem adjudicatam, seu vocatur res judicata.

§. 7. In ferenda sententia, vox seu votizatio, ab inferiori incipit, praeses concludit, et fertur sententia juxta pluralitatem votorum, si vero bifariam dividerentur judices aequali numero, tunc cui parti praeses, vel eo absente, assessor officio illius fungens adhaerebit, pro conclusivo habetur.

Titulus 13.

De executione.

§. 1. Sententiam sequitur executio, velut judicii complementum, quia frustra fierent judicia, nisi quae judicialiter deciduntur, reali quoque executioni manciparentur. Est autem executio: actus judicialis, quo praestatur victori, quod ipsi adjudicatum est per sententiam.

§. 2. In executione causarum adjudicatarum qualis ordo observari praecipiatur, videtur Stat. l. 1. t. 12. §. 2, 5, 6, 7. ubi satis perspicue describitur, quomodo et quando executio peragi debeat, dignabuntur juris studiosi illos adire §-phos.

§. 3. Notabile est hoc: quodsi fuerit ostensum manifestis probationibus, religionem judicantis falsis instrumentis esse circumventam, tum executio judicati solet suspendi et soluti dari repetitio.

§. 4. Notabile juris beneficium pro creditoribus peregrinis tempore executionis exercendum, apparet e §-pho 6-to tit. 12. l. 1-mi Stat. scilicet, tempore executionis pro creditore peregrino praestandae, debitor corporali juramento debet comprobare, quod parata pecunia, et aurea argenteaque clenodia deficiant. Quod juris beneficium ad creditores cives non extenditur.

Titulus 14.

De remediis juridicis.

§. 1. Remedium juridicum est quoddam sublevamen, quo in causa succumbens semet gravatum sentiens, causam suam mederi solet. Remedia juridica esse possunt sequentia: appellatio, recursus, novum cum gratia, seu novum gratiosum.

De appellatione.

§. 2. Appellatio est is actus judicialis, quo ii, qui judicum sententiis gravantur, causas suas, ab inferiore judice ad superiorem, pro maturiore revisione provocant. Qui appellare voluerit, id faciat statim, judice pro tribunali adhuc sedente; si vero deliberandi diem vel horam postulaverit, id non negabitur a' judice, l. 1. t. 11. §. 1. Stat.

§. 3. Appellatio secundum fora judicialia fit a judicatu ad senatum, a senatu ad universitatem, ab universitate ad excelsum regium guber-

nium, inde ad thronum summi justitiarii scilicet principis, et appellatio ad principem omisso medio regulariter non admittitur.

§. 4. Tam in majoribus, quam in minoribus negotiis appellatio est licita, non enim debet judex injuriam sibi fieri existimare eo, quod litigator ad appellationis auxilium convolavit, §. 4. t. 11. l. 1. Stat. Hunc §-phum, si liceat combinative cum §-pho 6-o hujus tituli summere, patebit loqui debere de foris inferioribus scilicet judicatu, in hoc enim §-pho statuitur, quando sit licita appellatio a senatu, quando non, adeoque respectu senatus distingvit lex, sed respectu fori inferioris, scilicet judicatus nihil attigit, consequenter licitam esse appellationem video a foro judicatus, praeter causam, ubi inctus in confessis esset, l. 1. t. 11. §. 5. ibid. t. 10. §. 4. et ubi causa jurejurando ex consensu utriusque partis, vel adversario inferente, delato et praestito, vel remisso decisa fuerit, ibid.

§. 5. Appellatio a senatu ad universitatem in causa rerum mobilium ita conceditur, si res mobilis quantitatem decem florenorum superaverit. Ab universitate ad excelsum regium gubernium, in causis bonorum mobilium, quantitatem 40 florenorum excedentium licita est appellatio; in causis vero rerum immobilium, injuriarum, servitutum urbanarum, et rusticorum praediorum et similium appellatio denegari non solet, ibid. §. 6.

§. 6. Appellatio secundum §. 5. t. 11. l. 1. Stat. non datur illis, qui de causis criminalibus, uti adulterio, homicidio voluntario, latrocinio vel de manifesta violentia accusati et certis argumentis convicti, vel proprio ore sua scelera

sunt confessi. Item manifestis debitoribus, qui nec negant, nec ullam legitimam exceptionem adferre possunt, illis, qui partem adversam frustra protrahere conantur, sic in iis etiam, quae dilationem non patiuntur. Notandum est heic: verum est appellationem in criminalibus per leges municipales esse exclusam, sed recursus ad regiam clementiam, contra dictatam mortis poenam admittitur, argumento decreti gubernialis ad inclytum magistratum Sabacsiensem anno 1798 nro 647. emanati.

§. 7. Si utraque pars litigantium, per latam et pronunciatam sententiam aggravata fuerit, quaelibet pars litigans pro se speciatim appellabit, consequenter actoris appellatio incto, et incti actori non suffragatur. Si in aliqua causa seu a parte actoris, seu a parte incti plures fuerint consocii in litigando, v. g. dum tres fratres tanquam haeredes relicti citantur ad judicium, tunc, si unus appellaverit, et ejus appellatio justa fuerit pronunciata, ei quoque prodest, qui non appellavit.

§. 8. Notandum est, quod si quis criminis alicujus convictus fuerit, et causam suam appellaverit ad fora revisoria, manebit in statu quo, hoc est, si ordine v. g. senatorio abstinere jussus est deliberative, tamen ad decisionem usque litis apud fora altiora manebit in suo ordine et statu, certi enim juris est, ne quid pendente appellatione innovetur.

§. 9, Post appellationem interpositam, appellans debet litteras transmissorias seu transmissionales seu apostolos extrahere, hoc est postulare, accipere et reddere; sed intra quod tempus hoc fiat, de eo lex statutalis l. 1. t. 11. §-pho 3-o hoc tantum dicit, quod intra praesti-

tuta tempora, sed praestitutum hoc tempus quot dies vel quot menses complectatur, de eo silet. Inclyta universitas anno 1803 in sequelam conclusi sui, anno 1802 21-a decembris, nro 214 lati, verba haec: inter praestituta tempora, interpretationi subjecit, auxilioque decreti excelsi regii gubernii de dato 4-ae februarii 1803 omnibus et singulis jurisdictionibus notum reddi voluit; quae interpretatio in sequentibus paragraphis consistit.

1) Tam apud altiora, quam vero inferiora nationis saxonicae fora, notarii et actuarii, post interpositam partis aggravatae appellationem, literas transmissionales intra 60 dies, demtis tamen feriis expedire, partes vero illas excipere tenentur; valetudo adversa, itinera officiosa, aliaeque excusationes rationabiles possunt notario et actuario pro exculpatione servire.

2) Obligatur pars appellans literas transmissionales in termino fatali §pho 1-mo expresso, a foro inferiori excipere, perque judicem vel notarium fori illius, quorsum causa appellata fuit, aperiri curare, tum autem pars appellans literas transmissionales una cum appellandi rationibus intra 15 dies primario judici, praesentationi ad protocollum exhibitorum exhibere debet, parti adversae vero ad exhibendas suas rationes justificatorias eodem modo 15 dies praefiguntur, intra quod tempus obligatur pars appellata istas suas justificatorias rationes, una cum appellandi rationibus et transmissionalibus, tanquam processum adaequate instructum iterum ad praesentationem ad protocollum exhibitorum exhibere.

3) In casu appellationis ad universitatem pro facilitatione partis appellantis litterae trans-

missionales etiam per judicem primarium ipsius, unde appellatio suscipitur, aperiri possunt, et si pars appellans nullas appellandi rationes exhibere vellet, judex hoc super literis connotare et ita protocollo inferre debet.

4) Quodsi appellans et appellatus intra 15-nalem terminum ipsis praefixum suas appellandi rationes et respective justificatorias rationes ob legales rationes exhibere non possent, tunc exspirato termino 15-nali, a judice, ad quem causa appellata est, prolongationem petere debent, ubi ipsis pro circumstantiis terminus brevior vel longior praefigendus venit.

5) Intermittit appellans transmissionales a notario vel actuario, intra fatalem 60 dierum terminum postulare, et quindenalem terminum pro conficiendis appellandi rationibus datum sine fructu praeterire sinit, nec pro inexpeditis transmissionalibus contra notarium conqueritur, nullasque legales rationes ad prolongationem termini fatalis habet; his in casibus appellatio appellantis pro extincta reputabitur, et appellatus poterit favorabile suum deliberatum, coram foro, coram quo pronunciatum est, executioni mancipari curare.

6) In casu appellationis ab universitate ad excelsum regium gubernium, illud, quod in §pho 1-mo habetur, observabitur, obligaturque appellans intra 60 dies transmissionales a notario excipere, intraque 30 dies praelaudato gubernio exhibere; non secus pars adversa (appellatus) poterit executionem favorabilis deliberati apud universitatem sollicitare. Intermiserit autem appellans post acceptas ab universitate transmissionales intra 30 dies, illas excelso gubernio exhibere, tum appellatus exhibendo deliberatum

universitatis, et testimonium actuarii de exceptis transmissionalibus, poterit et etiam debet executionem apud regium gubernium sollicitare, praemissa solenni proclamatione in dictatura gubernii.

§. 9. Jam qui licitam appellationem intra statutum tempus exercere neglexerit atque omiserit, oportebit eum perpetuo silere, nec a principe poterit auxilium supplicare, quod si fecerit, desiderio suo carebit. Stat. l. 1. t. 11. §. 3.

§. 10. Notatu dignum est, quod in §pho 8-o tit. 11-i libri 1-i Statutorum habetur, quod scilicet metales saxonum causae, seu stylo statutorum lites, quae finium terminalium seu territoriorum causa inter saxones emergunt, ultra universitatis eorum forum judiciale haud provocentur, neque per homines vajvodales vel protonotarios reambulentur et decidantur, sub poena provinciali, quae est 60 florenorum, prout colligitur ex articulo 2-do anno 1613 30-a decembris ab universitate seculari vel politica nationis saxonicae Segesvarini condito in verbis: Sondern wenn sie (die Obrigkeit) etwas wider jemanden haben, sollen sie via juris mit ihnen procediren, sub poena provinciali fl. 60.

De recursu.

§. 11. Recursus est remedium juridicum, quo causa seu deliberatum fororum inferiorum revisionis gratia in praesentiam regii gubernii et etiam ad thronum sacratissimae suae majestatis deducitur, in casu, ubi causa per viam appellationis non transmittitur. De recursu ad thronum majestatis seu principis nostri vide articulum 2-dum novellarem annorum 1753, 1754

et 1755, qui indigitat recursum hunc dari non ex dictamine legis, sed ex benigna regia annuentia, quando scilicet causae per viam appellationis e superioribus foris judiciariis non transmittuntur.

§. 12. De recursu ad excelsum regium gubernium insinuando, plurima exstant decreta gubernialia, anno 1775 23-a maji sub nro 2878. cum consensu suae majestatis publicatum est circulariter, quibusnam in casibus tam in linea politica, quam in linea judiciali insinuari possit recursus ad regium gubernium. Anno 1802 5-a junii sub nro 1720 et anno 1803 16-a julii sub nro 2045 emanata sunt decreta gubernialia, tenore quorum, terminus fatalis quoad summendos ad regium gubernium recursus est duorum mensium a die latae inferioris fori decisionis imputandus. Ante evolutionem hujus termini jurisdictionibus integrum haud erit determinationem suam executioni mancipare, sed recurrentibus quoque incumbit, ut fori inferioris determinationem a notario, illam citra moram et difficultatem extradare obligato statim excipiant, et recursum suum ea ratione ad reg. gubernium promoveant, ut sub praefixo termino ordinationem etiam vel resolutionem gubernii regii concernenti jurisdictioni exhibere possint, exhibeantque effetive, secus enim impleto duorum mensium spatio a die latae inferioris fori decisionis imputando, causa ab eo decisa, in rem judicatam summi atque executioni mancipari poterit. Decr. hocce, alio decr. 1814 23-a septembris, nro 3514 emnnato qualificatum est, ita, ut si recurrentes testimonium super insinuatione recursus produxerint suo tempore, non tenentur ordinationem vel resolutionem gubernialem quoque exhibere.

§. 13. Anno 1805 19-a aprilis, nro 1232 emanatum est decretum guberniale sonans de eo: ut notarii non solum pronunciationis, sed etiam extradationis deliberati diem deliberato apponant, unde sciri possit, cuinam tribuatur culpa recursus tardati, notario aut recurrenti. Anno 1807 3-a aprilis sub nro 1006 decr. gub. emanatum continet poenam indebite recurrentium, et cynosuram de dijudicandis usibus fructibus interea perceptis, dum recursus pendet.

De novo gratioso.

§. 14. Vestigium remedii hujusce, scilicet novi gratiosi reperitur in §-pho 10-o tituli 4-ti l. 1-mi Stat. ubi habetur: quod lis semel amissa, sine beneficio novi judicii restaurari non potest etc. Quod vero per hocce novum judicium novum cum gratia intelligi debeat, documento est decretum excelsi regii gubernii ad inclytum magistratum Sabaesiensem anno 1798, nro 647 16-a martii exaratum, in verbis: „Ut „enim Statutor. l. 1. t. 4. §-pho 10-o litem se„mel amissam beneficio novi judicii restaurari „posse innuatur, ipse tamen legis contextus et „priscus usus, in foris saxonicis jugiter observa„tus docent, eandem non de novo simplici, alio„quin in gremio nationis saxonicae, ubi litigan„tibus facultatem apud fora etiam appellatoria „novis argumentis ac documentis utendi leges „indulgent, minus necessario ac superfluo, ve„rum de novo gratioso in causis mere civilibus „intelligendam venire“.

§. 15. De remedio novi gratiosi notabis adhuc sequentia: *a)* Quamdiu sententia executioni mancipata non est, locum habere non potest,

ast executione peracta, illud in omnibus causis per arbitros etiam definitis, nisi partes in arbitros compromittentes aliter convenissent, locum obtinet, quia compromissum ad similitudinem judiciorum redigitur. Stat. l. 3. t. 8. §. 2. exceptis causis transactionibus legitimis finitis. Stat. ibid. §. 4. *b)* Causa penes hocce remedium coram foro 1-mae instantiae suscitari debet. *c)* In una causa semel tantum admittitur, si itaque is, qui novo gratioso usus est, penes hocce remedium iterato in ipso causae merito succumbat, perpetuum silentium eidem imponitur, seu ut in §pho 10. t. l. 1. Stat. habetur: qui iterato novi judicii beneficio egerit, a limine judicii repellatur ac in duplum condemnetur. Quodsi vero novum gratiosum per exceptionem duntaxat condescenderet, et novizans non in ipso causae merito succumberet, casu in isto novum gratiosum toties quoties modo antelato condescenderit, de novo impetrari potest. *d)* Impetrantur autem mandata novi judicii gratiosi apud illa loca authentica, quae sigilla regia habent, uti apud inclytam tabulam regiam, et excelsum regium gubernium. Apud tabulam regiam habent sigilla authentica tres protonotarii et tabulae regiae praeses.

Titulus 15.

De publicis judiciis.

§. 1. Justinianus post civilium et privatorum judiciorum expositionem, ad publicorum judiciorum tractatum progreditur, hunc ordinem sequuti, videndum est de hac materia. Judicia

publica sunt, quae certa aliqua lege constituta, ab uno quoque ex populo deferri accusarique possunt, seu stilo statutali, publica judicia sunt illa, quorum executio cuivis e populo datur. Stat. l. 4. t. 1. §. 1. expedit enim peccata nocentium esse nota, ut emendentur.

§. 2. Judiciorum publicorum alia sunt capitalia, alia non capitalia. Capitalia sunt, quae ultimum supplicium post se trahunt delinquenti. Publica non capitalia sunt, ex quibus mitior poena irrogatur reo, seu stilo statutali, quae corporis coërcitione cum relegatione puniuntur. Ibid.

§. 3. Sunt autem publica judicia sequentia: majestatis, adulterii, homicidii, parricidii, falsi, vis publicae, peculatus, plagii, ambitus, repetundarum etc.

§. 4. In hoc primo et acerrimo judicio publico est lata lex Julia majestatis a Julio Caesare. Est vero crimen laesae majestatis, delictum publicum, quo majestas humana laeditur a subdito. Laesio principis est crimen laesae majestatis, estque duplex, vel subditus animo hostili molitur aliquid adversus principis securitatem, et crimen est perduellionis, vel sine animo hostili agit aliquid adversus principem, et vocatur hoc crimen in specie laesae majestatis. Unde crimen laesae majestatis in genere acceptum, continet in se crimen perduellionis ac laesae majestatis.

§. 5. Publicum crimen est *adulterium*, quod est violatio sive commaculatio thori alieni, vel est concubitus illicitus cum uxore aliena, dolo patratus. De hoc crimine fuse habetur in Codice legum stat. l. 4. t. 7-o.

§. 6. Publicum crimen est ***homicidium***, ab homine caedendo, quasi caedes hominis appella-

tum. Definitur quod sit humani corporis animati peremtio ab homine facta, quocunque telo, id est, instrumento habili ad occidendum. De homicidio lex statutalis perspicue satis tractat, ita ut nullo tractatu heic opus sit. Eruditus Reiszner pulchre hanc materiam interpretatus est.

§. 7. Publicum crimen et homicidii species est *parricidium*, quasi parenticidium, quod tunc committi dicitur, quando quis parentis sui, dolo malo, quacunque arte, fata praeparat. Poena hujus criminis olim culeus fuerat, id est, saccus coriaceus, in quem parricida, cum cane, gallo gallinaceo, vipera et simia insutus in proximum mare vel flumen projiciebatur.

§. 8. Crimen publicum est *de falsis*. Est autem crimen falsi, actus dolosus, veritatis immutandae gratia ad alterum decipiendum factus. Qui sint digni poena falsi, quae poena sit illorum, videre est in Codice legum statutalium, l. 4. t. 6-o.

§. 9. Judicium seu crimen publicum est de *vi publica*, quae est, qua securitas publica turbatur.

§. 10. Publicum crimen est *peculatus*. Non male describitur: quod sit pecuniae publicae aut sacrae furtum. Est hoc crimen duplex, reipublicae videlicet, quod proprie peculatus dicitur, et rei sacrae, quod sacrilegium nominatur. Puniebatur jure romano poena ordinaria, nimirum deportatione etc.

§. 11. Publicum judicium e jure romano lex Fabia *de plagiariis*. Est autem plagium, liberi hominis, vel servi alieni dolo malo facta suppressio. Crimen porro publicum de ambitu est, in quod ii incidunt, qui pecunia et largitionibus

dignitates, honores, magistratus, sacerdotia ambiunt et redimunt. Hoc crimen apud canonistas simonia dicitur.

§. 12. Plura adhuc talia publica judicia erant apud romanos, quae in Institutionibus Justiniani imperatoris et harum commentariis legi possunt.

Supplementa.

Ad pag. 211 §. 6. de homicidio.

De homagio.

§. 1. Homagium in jure 1-mo et principaliter significat fidelitatem principi debitam. Latius sumtum, fidelitatem praestandam superiori cuicunque per inferiorem; quod ipsum etymologia vocis teste Verböczio exprimere videtur, cum homagium sit quasi hominis ligium seu ligamen.

§. 2. 2-do summitur homagium pro mulcta seu aestimatione homicidii casualis, qua homicida juxta aestimationem capitis sui, redimit se ab iis, quibus ea mulcta debetur. Dicitur homicidii casualis, ut si putator ex arbore, cum ramum dejiceret, non praeclamaverit et praetereuntem occiderit, si enim voluntarium seu ex praeconcepta malitia homicidium quis committat, poena talionis, ex justitia vindicativa tenebitur.

§. 3. Non indignum est notare, differentiam esse inter definitionem homagii per jura hungarica et inter definitionem homagii per jura statutalia, l. 4. t. 4. §. 1. praestitas, nam jure hungarico homagium dicitur, pretium esse capitis homicidae, jure vero statutali loco citato dicitur esse pretium hominis peremti, dum dicit: statutum est ut occisi homagium redimatur. Verböczius p. 3. t. 5. §. 3. dicit: „Inconveniens esse, ut „homagium dicatur esse pretium hominis peremti, „nam mortuus nullo pretio redimi et a mortuis „suscitari potest, sed homicida, ne talionem „subeat, ut caput suum, et non illius, quem pe„remit, redimat, necesse est".

§. 4. Ut, ut se habeat definitio homagii in jure hungarico, nobis in jurisdictione statutorum municip. degentibus placere debet definitio e jure statutali desumta, quia postquam latae et confirmatae sunt leges statutales, non est judicandum adversus ipsas, sed secundum illas.

§. 5. Dicitur equidem jure statutali capitalis alicujus criminis convictum si poenam corpore non luerit, ultra 40 florenos mulctari non posse, sciendum tamen est, legem hanc mutatam esse per articulum 28 anni 1791. qui articulus dicit, poenas bursales ratione plebis rusticae in corporales commutari debere, ad quas aresta etiam referuntur, et jejunia in pane et aqua, et quae poenae aetati, sexui et conditioni delinquentium, gravitati delicti et personis delinquentium attemperari debent. Contradictionem inclytae nationis saxonicae c. hunc articulum vide in protocollo diaetali anni 1791. sessionis 4-a junii celebratae, pag. mihi 137. Digna haec elucubrata contradictio pro lectione.

§. 6. Homagium pro mulcta sumtum est duplex: integrum scilicet seu mortuum, et vivum seu dimidium, quod medium etiam nuncupatur. Quibus in casibus dictaretur mortuum et vivum homagium, si poena bursalis non fuisset sublata, vide Stat. l. 4. t. 4. §. 1. 2.

§. 7. Notatu dignum est, quod Reiszner ad §. 2·m t. 4. l. 4. Statutorum dicit: scilicet: „Non „possum, quin et transsilvanorum et saxonum ve„terum consvetudinem improbem, nullamque cer„tam pecuniae summam in membrorum mutila„tionem commode constitui posse affirmem, ple„rique gaudebunt, se libidinem suam explere „pro tam vili pretio posse, praeterea neque laeso „tam exigua pecuniae summa satisfit, cui utique „abscissione et mutilatione membri gravius dam„num infertur, quam quod pauculis aureis com„pensari queat etc.

§. 8. Cicatricum nulla est aestimatio, plerique tamen d. d. foeminas, maxime virgines, quibus forma pro dote est, excipiunt, atque in illis cicatricum et deformitatis rationem a judice habendam esse, affirmant.

Ad pag. 177. titulum de actione in genere.

De processu.

§, 1. Processus est certa forma ad obtinendum aliquid coram jure (judicio) procedendi, lege, consvetudine, et praxi contenta. Seu brevius, est forma actionum instituendarum et prosequendarum. Duplicis generis processus sunt in foris judicialibus, nempe accusatorius et inquisitorius, ille locum habet in causis civilibus, quae per citationem inchoantur, hic in criminalibus.

§. 2. Vestigium et fundamentum processus inquisitorii reperitur in §. 3-o t. 1. l. 4. Stat, ubi per disceptationem debitam hodie intelligitur is actus, qui benignum examen vocatur. De processu isto inquisitorio, seu, quid sit agendum circa res criminales, circa reos in vincula publica conjectos copiose habetur in tit. 1-o l. 4-ti Statutorum.

SYNTAGMA

CERTARUM CONTRARIETATUM ET DUBIETATUM, E STATUTIS JURIUM MUNICIPALIUM SAXONUM IN TRANSSILVANIA, DESUMTARUM ET RESOLUTARUM

PER

LADISLAUM** quondam **NAGY

DE BRANYITSKA. I. F. U. C. ADVOCATUM, PRAESIDEMQUE DIVISORATUS SZÁSZVÁROSIENSIS.

EDITA PER

LEOPOLDUM NAGY

DE BRANYITSKA,

I. F. U. C. ADVOCATUM.

Contraria juxta se posita, magis elucescunt.

Dubitare cum ratione, in qualibet arte, ac facultate, quam quis addiscere contendit, est incipere ipsam intelligere.

Imprimatur. Claudiopoli 13-*a apr.* 1822.

LADISLAUS CSEDŐ *m. pr.*
Cancellarius.

DUBIETAS I.

Juxta fundamentale saxonum privilegium Andreanum, oppidum Szászváros ad fundum saxonicum pertinuit, tanquam terrae saxonicae limes inclusus ab occidente (verba sunt privilegii: universus populus incipiens a *Város* etc). In historia patriae legitur: quod saxonicae civitates liberae, Claudiopolim, propterea, quod anno 1570 tota fere urbs, scilicet Claudiopolis ad castra antitrinitariorum transiisse conspecta fuerit, a septem civitatum numero, surrogato Szászvárosino, excludebant. Benkö Trans. t. 2. pag. 134. P. Andr. Illia ortus et prog. var. in Dacia gent. pag. 20. Quaeritur ergo, quomodo Szászváros pro Claudiopoli surrogatum est numero septem civitatum, siquidem inde ab emanatione Andreani privilegii, ad fundum saxonicum pertinuerit Szászváros quoque?

RESOLUTIO.

Nulla dubietas: oppidum Szászváros sive Saxopolis, germanis Brosz dictum, etiam tempore emanationis privilegii Andreani pertinuit ad fundum saxonicum (dicit enim illustris Benkő, per verbum *Város* hodiernum oppidum Szászváros dictum, tanquam terrae saxonicae limitem inclusum ab occidente intelligi debere certissimum esse) sed non erat in numero septem civitatum, posteaquam vero Claudiopolis ad castra antitrinitariorum transiit, reliquae saxoni-

cae civitates e numero septem civitatum excludebant, surrogato Szászvárosino; consequenter in tantum decessit aliquid de fundo saxonico.

Szegedi in Tripartito juris hungarici Tyrocinio suo taliter loquitur: „Saxones transsilvanici a Gejza II, rege nostro clementia et favoribus provocati, urbes Coronam, Cibinium, Szászsebes, Bistricium, Segesvár, Medgyes, ac Claudiopolim (cui, ad hungaros desciscenti, ad complendum septenarium numerum, transsilvanis a memoria 7 castrorum celebrem, jamque 7 comitatibus ac totidem sedibus siculicis atque saxonicis expressum, Szászváros substituerunt) et oppida nobiliora condere coeperunt.

Surrogatio itaque ista, non ita est intellidenda, ac si hungari pro Claudiopoli surrogassent Szászvárosinum ex ipsorum terra, nam ita everteretur sensus Andreani, juxta quod Szászváros tempore emanationis istius Andreani privilegii, videlicet anno 1224 pertinebat ad fundum saxonicum, consequenter anno 1570 surrogare hungari non potuerunt id, quod proprium non erat.

Fateor equidem, illud quoque esse in mente mea, quod siquidem in privilegio Andreano non Szászváros, sed tantum Város exprimatur, praeterea nomen oppidi Szászváros sit hungaricum, facile credi posset, oppidum Szászváros fuisse e terra hungarorum surrogatum.

Quaeritur ergo, ubinam város exstiterit? nonne in illo loco, in illo territorio, quod hodie quoque a valachis *Vorestyare*, *Orestyare*, ab hungaris vero Városvize nuncupatur. In inclyto comitatu Hunyadensi est iste locus, ego ipse in loco isto expertus sum rudera, quae

indicio esse possunt, in planitie ista, arcem vel urbem aliquam aliquando exstitisse. Salva aliorum opinione.

Cupidorum animorum gratia heic adnotare volui: oppidum Szászváros anno 1695 die 5-ta decembris fuisse in inclyto comitatu Hunyadensi, prout literae contractuales de eodem dato sonantes sub authentia apud manus meas existentes evincere possunt sufficienter.

Anno 1631 fuisse oppidum Szászváros in fundo saxonico, docent litterae in globulo turris anno 1762 repertae, hoc anno turris fulmine icta renovata est. Litterae sic sonant: „Mo-„numentum sacrum e cap. proverb. XVIII. v. x. „Turris robustissima est nomen JEHOVAE, „quo accurrens justus in edito collocatur seu e-„xaltabitur. In cujus symbolum, turris quoque „haec olim a patribus aedificata, nomine ejus-„dem JEHOVAE sancto verbo solemniter conse-„crata, nunc demum a civibus et incolis christi-„anae hujus urbis renovata aut reaedificata est, „in nomine Domini, ejusque gratia, regnante et „imperante in Transsilvania magnique regni „Hungariae parte, illustrissimo ac celsissimo „principe domino domino Georgio Rákoczi, an-„no Domini 1631, domino Stephano Fodor re-„gio, domino Mathia Lázár sedis judicibus. Litterae hae conservantur apud ecclesiam reformatorum in oppido Szászváros.

Placuit mihi antiquitatis studiosorum, et natalis soli mei gratia huc transferre litteras illas, quas in orginali possideo: Lüchy mgr. civium civittis Cibinien. recogn(sco prntis — türa testimonio — — den atque circumsp. dns judices — — rosque juratos de Zazvaros roe contribütionis — — ooo ad profectionem Constanti-

nopolitanam inflict — — manus meas administrasse R. 46 d. 26, super qua — — inistroe eosdem quietos et absolutos reddo — — rtis per vigorem Actum Cibin— — 25 die — — sis Aprilis A. 1608.

Idem qui supra *m. pr.*

ab exteriori parte talis legitur scriptura: Constantinapoli keolcziegreol valo quietantia.

Legi in Archivo inclyti comitatus Hunyadensis protocollum sedis judiciariae, generalis sedes dictae, anno 1637, die 2-da mensis junii, in possessione Bátsi celebratae, ubi habetur: *melly Szászváros vagyon in comitatu Hunyadensi.* Qualis hinc conclusio formari potest, relinquo prudentiae legentis.

DUBIETAS II.

Statutorum. l. 1. t. 1. §. 1-mo mentio fit de universis saxonibus in Transsilvania. Quare itaque meminit compilator civitatum septemque et duarum sedium tantum, et districtus hodiernos saxonicales Coronensem et Bisztricensem non expressit? siquidem hi districtus quoque ad agrum pertineant saxonicum.

RESOLUTIO.

Resolutionem ingeniis aliorum felicioribus relinquendam esse censui.

DUBIETAS III.

L. 1. t. 1. §. 1-mo, compilator juris statutalis meminit septem sedium, (etiam duarum, sed illae sunt filiales) praeterea solemnis for-

mula est, jam aetate Ludovici I. regis usitata: *saxones septem sedium*, (in confirmationalibus privilegii Andreani Ludovici I. 1366 d. 21. jun. exaratis fit mentio septem sedium saxonum Transsilvaniensium,) cum tamen octo sedes sint, si numeres: Cibiniensis, Schaesburgensis, Sabesiensis, Mercuriensis, Schenkensis, Rupensis, Leschkirchensis et Szászvárosiensis. Eder.

RESOLUTIO.

Vir sollertissimus Jos. Carolus Eder hac in materia ita loquitur in observationibus suis criticis ad historiam Transsilvaniae: „Sed nempe „tametsi sedem Cibiniensem quandoque veteri„bus in litteris memorari egomet compertum „habeam: tamen vocabulum istud potissimum „ceteris saxonum regiunculis, ad comitatum (in „litt. Andr. II 1224) seu provinciam Cibiniensem „pertinentibus adtributum fuisse, existimo, quo„modo regionem Fogarasiensem dum comitatus „Albensis Transs. pars esset, quandoque sedem „Fogaras nuncupatam fuisse (e litt. 1470) com„perio. Sane jam anno 1248 memorantur provin„ciales comitatus Scybiniensis, et dubium omne „sublatum videtur litteris anni 1377, quarum „hoc initium: Nos seniores, judices, cives et „provinciales universi de septem sedibus provin„ciae Cibiniensis, memoriae commendamus etc. „Serius, quum sedes Medgyes et Schelk ceteris „saxonibus unitae fuerunt, septem et duae se„des censebantur.

DUBIETAS IV.

Stat. l. 1. t. 1. §. 1-mo legitur: saxones Transsilvani suos magistratus, magistrum nem-

pe civium, judices et villicos ex ipsorum juratis per suffragia communitatum eligant, caeteri vero jurati per recens electum magistratum eligentur. Quomodo §phus iste intelligi debet?

RESOLUTIO.

Decretum regium anno 1797 d. 17-ma martii numero 2340 emanatum sequenti modo sonat: quod illam difficultatem adtinet, quam nationis saxonicae comes, contra, cum Stat. l. 1. t. 1. §. 1-mo non cohaerentibus communitatibus concessam senatores eligendi facultatem obmovit; respectu hujus tam comiti nationis quam ipsi regio guberuio sequentem exhiberi inviationem jussit sua majestas: Quod lex patriae citata id in se continet, ut officiales et senatus per communitates, caeteri vero jurati per recens electum magistratum (senatum) eligantur; sed quoniam antiqua instrumenta id exhibent, ut isti jurati ordinaria et sallario provisa senatorialia (magistratualia) individua non fuerint, sed tanquam individua communitatis, per electos primarios officiales ad gerendam rempublicam in subsidium vocati fuerunt, hodiernae vero personae senatoriae, potestatis illius, quam antea primarii tantum officiales, qui proprie magistratus vocabantur, possederunt, participes facti sunt, hac et sallario per electam communitatem e publico proventu pendendo utuntur; ea propter his ex rationibus natura sua fluit consequentia: ut ista etiam membra magistratus eo a fortiori communitates eligant, quoniam memorata lex patriae electionem magistratus in his verbis: *magistratus suos eligant*,

communitatibus imponit, ex adverso autem id, quod in memorata lege patriae de juratis dicitur, ad caracterem hodiernorum regulatorum magistratuum trahi, applicari non potest etc.

DUBIETAS V.

Libro 1. t. 1. §. 1-mo, non memorantur inter magistratus saxonum, judices regii, unde, fuit, qui munus regiorum judicum in septem sedibus saxonum, nequaquam veteri usu nixum esse persvadere conaretur, hoc argumento scilicet, prout dictum est, quod in citata lege statutali inter magistratus saxonum regii judices non memorentur.

RESOLUTIO.

Eruditus Eder taliter loquitur de hac materia in observationibus suis criticis et pragmaticis ad historiam Felmerianam, quod loco resolutionis dubietatis superioris egregie deserviet: in litteris Mathiae regis, Budae, anno 1477, festo b. Antonii Abbatis editis e veteri usu saxonum decernitur: honor judicatus regalis in septem sedibus jure paterno non condescendat, sed post obitum judicum, hi, qui magis digni visi fuerint, cum nostro tamen semper beneplacito, eligantur. Facile jam intelligitur, quamobrem illic, ubi, de magistratibus singulo anno eligendis in statutis agitur, non memorentur judices regii, quorum dignitas, ut Mathias innuit, perpetua fuit.

THESIS VI.

Lib. 1. t. 1. §. 4-to habetur, quod a judicibus liberum sit cuilibet ad senatum provocare, in omnibus tam parvis causis quam magnis, prout innuit §. quoque 4. t. 11-mi l. 1.

ANTITHESIS.

L. 1. t. 1. §. 3-o habetur, quod a judicibus ordinariis ad senatum provocare solummodo pro causae cujuslibet qualitate et civitatis consvetudine, non ergo licet provocare in omnibus indifferenter causis.

RESOLUTIO.

Nulla contrarietas: quia thesis proponitur tanquam lex generalis, seu proponitur in genere, antithesis vero est exceptio a regula generali, et quaenam sint illae exceptiones, hoc est, quae sint illae causae, in quibus appellatio denegatur, vide §. 5. t. 11. l. 1.

THESIS VII.

L. 1. t. 1. §. 5-to dicitur: Quod judex imprimis observare debet, ut aliter non judicet, quam quod legibus aut moribus proditum est, secundum leges itaque et consvetudines debet judicare.

ANTITHESIS.

Habetur eodem lib. t. 10. §. 1. quod in omnibus rebus potior habeatur justitiae aequitatisque quam stricti juris ratio.

RESOLUTIO.

Paulus Castrensis inquit: si varios habeat intellectus lex aliqua, seu ex Pandectis seu ex Codice, quae ad decidendam contraversiam occurrit, amplectendus eo casu sensus benignior et aequior: si vero clarum perspicuumque sit, quod apud juris consultum vel imperatorem legitur, tunc recedendum nunquam ab eo ob aequitatem, quam nobis finxerimus ad stomachum. Nempe, ita interpretari legem, ut ipsum jus durum emendes, hoc solius est regnantis. Reiszneri commentatio ad jus Statutarium. Vir gentis hungaricae clarissimus, Stephanus Verbőcz dicit: in omni judicio conjuncta esse misericordiam et virtutem, id est justitiam: et in harum conjunctione consistere aequitatem.

DUBIETAS VIII.

L. 1. t. 1. §. 7. imperatorium jus, quid in se complectitur?

RESOLUTIO.

Per imperatorium jus, non institutiones solum Justinianae, sed et Digesta seu Pandectae, codex posterior, seu codex repetitae praelectionis, atque novellae ejusdem imperatoris (Justiniani) constitutiones intelligi debent, quum ex historia juris romani pateat: singulas has juris romani partes, mandato et auctoritate Justiniani imperatoris compositas esse, atque editas, qui imperator ab anno 527, avunculo suo Justino

mortuo, rerum potitus, 40 annos imperavit, vel potius imperatoriam praecipue in oriente majestatem armis decoravit et legibus armavit.

THESIS IX.

Tit. 2. §. 1. dicitur: merito judicium a citatione inchoandum esse.

ANTITHESIS.

L. 4. t. 1. §. 3. habetur: ne diversorum criminum rei detenti crudelius habeantur, judices productos e custodiis reos disceptationi debitae subdent, (benignum examen hodie audit) et quod leges svaserint, definiant. Non ergo omnis causa inchoatur a citatione.

RESOLUTIO.

Nulla contrarietas: quia processus conjectorum in vincula publica, excipitur a lege citationem postulante, ideoque processus iste inquisitorius, is vero, qui per citationem ordinariam inchoatur, accusatorius vocatur, prout etiam decretum guberniale anno 1798 16-a martii, sub nro 647. ad inclytum magistratum Sabesiensem exaratum hoc innuit non obscure.

DUBIETAS X.

Tit. eod. §. 3. quomodo intelligatur haec expressio: *ad domum citetur* inctus? etenim si citandus dolose se occultabit, nullo modo citari poterit ad domum, is, qui non reperitur, seu is, qui jam non est, quia se occultat, citari non potest. (Non entis nullae affectiones).

RESOLUTIO.

Juxta versionem germanicam (es ist genug, so er von seinem Hauss geladen wird) vocem *ad* per *de* exprimerem, adeoque legeretur, de domo citetur citandus se occultans; salva tamen aliorum opinione.

DUBIETAS XI.

Tit. eodem §. 7. t. 4. §. 10. mentio fit novi judicii principis, quale novum judicium debet intelligi?

RESOLUTIO.

Decreti excelsi regii gubernii anno 1798 16-a martii nro 647 ad inclytum magistratum Sabesiensem exarati verba sunt: ipse legis contextus et priscus usus in foris saxonicis jugiter observatus, docent eandem (scilicet legem) non de novo simplici, alioquin in gremio nationis saxonicae, ubi litigantibus facultatem apud fora etiam appellatoria novis argumentis ac documentis utendi leges indulgent, minus necessario ac superfluo, verum de novo gratioso in causis mere civilibus intelligendam venire etc.

DUBIETAS XII.

Tit. 3. §. 1. Unica peremtoria citatio regulariter facta pro tribus sufficit. Quaeritur, quando, seu quibus in casibus competit peromtoria citatio? de eo silet §-phus statutalis.

RESOLUTIO.

Argumento §-phi 5-ti t. 2. l. 1-i Stat. reor, in causis domesticorum, aliisque moram non ferentibus locum esse peremtoriae citationis, qui vero sint illi casus seu illae causae, prudenti judicis arbitrio relictum esse intelligo.

DUBIETAS XIII.

Tit. 3. §. 2. dicitur: quodsi actor causae suae diffisus, non compareat, citra dilationem condemnatur parti comparenti in expensarum refusionem, sed temporis spatium non exprimitur, unde metiri possit, quod jam actor causae suae diffisus est.

RESOLUTIO.

E combinatione §-phi hujus cum proxime praecedenti, et e nexu inter actorem et inctum, monitum me esse puto super eo, ut si inctus citatus tribus vicibus protestatus fuerit de non prosecutione causae, per actorem suum motae, tunc reputabitur actor pro causae suae diffidente.

THESIS XIV.

Tit. 4. §. 1-mo dicitur, quod reus comprehensus in jus vocari potest.

ANTITHESIS.

Lib. 4. t. 1. §. 3-o dicitur, quod reus e custodiis productus disceptationi debitae subjiciatur, et quod leges svaserint, definiant judices.

RESOLUTIO.

In jus vocari, hoc in loco, scilicet in §. 1-o tituli 4-ti l. 1-i, tantum est, ac in jus trahi, produci, constitui reum criminalem, reus enim criminalis nunquam vocatur medio citationis in jus, sed solummodo producitur et benigno examini subjicitur, dein fit judicium, proponente actionem procuratore fisci, cujus est de securitate civitatis providere et fures e medio tolli.

DUBIETAS XV.

T. 4. §. 7-mo habetur, quodsi quis agere desistat, amplius in eadem causa accusare prohibetnr. Quaeritur, undenam sciri potest, quod actor hic aut alius destitit agere? seu quantum temporis spatii requiritur ad id, ut de aliquo destitisse agere, dici possit? de hoc tacent §phi singuli hujus tituli.

RESOLUTIO.

Siquidem tenore §phi 2-di tit. 8-vi l. 1-mi verum sit, nullas lites ultra triennii metas esse protrahendas post litem contestatatam, censerem tres annos sufficere ad id, ut actor destitisse agere judicetur, si per illos tres annos litem suam penitus negligeret. L. 4. t. 5. §. 3-o dicitur: actionem injuriarum dissimulatione aboleri, jure romano, l. 5. c. annus requiritur, intra quem, nisi actio moveatur, remissa videtur, hoc in casu ergo si actor destitit intra annum agere, amplius non poterit. Ille etiam destitit agere, qui

causae suae diffisus vel alia ratione ad ternariam incti protestationem coram judicio agendi causa non comparet; si vero inctus protestatus haud fuerit, casu in illo agendum secundum §. 2. t. 8. l. 1.

THESIS. XVI

Tit. 5. §. 3. dicitur: quod is, qui testes exhibere vult, moneat adversam partem, ut compareat ad videndum et audiendum testes produci etc.

ANTITHESIS.

Eod. tit. §. 9. dicitur: quod testes ita examinari debent, ut partes litigantes secedere jubeantur, consequenter adversa pars audire testem, dum fatetur, non potest.

RESOLUTIO.

Thesis ita intelligatur, ut adversa pars moneatur ad videndum testes produci, num scilicet aliquam exceptionem contra illos testes habeat, et audiendum jusjurandum ab illis recipi, sicque nulla erit contrarietas.

DUBIETAS XVII.

Tit. 6. §. 2. quae est differentia inter fratrem et consangvineum?

RESOLUTIO.

Differentiam inter fratrem et consangvineum eam esse cognosco, quod fratres uno utero

progeniti, gradu consangvinitatis sibimet invicem proximiores, consangvinei vero, qui distincto utero nati a fratribus remotiores sint. Frater Bruder, consangvineus Blutfreund.

DUBIETAS XVIII.

Tit. 6. §. 3. in interpretatione hujus §phi sequenti modo loquitur eruditus Reiszner in sua commentatione pag. 61. Quod vero in eodem §. 3. additur nec consangvineum pro consangvineo testem esse posse (desgleichen auch kein blutfreund für den andern) non convenit cum catalogo, quem mox §. 6. exhibet compilator, cum ibi quoad consangvinitatem in persona fratris et sororis subsistat, nec ultra progrediatur; nisi forte casus quosdam intelligas, in quibus etiam jure communi consangvinei testes esse non possunt, quos recenset Everhard. Vel dicas: consangvineum quidem admittendum, sed non omni exceptione majorem esse; quanquam sic contextum non accurate cohaerere fatendum est. An denique potius existimabimus, jus patrium ad causas criminales coarctandum, exemplo juris canonici etc. Sic ego opinor.

THESIS XIX.

Tit. 10. §. 1. habetur: quod sententia, quae deliberata fuerit, praesente utraque parte recitetur, ut penitus quae lata fuerit sententia cognoscatur. Eodem in §pho habetur, quod inaudita causa nemo damnandus.

ANTITHESIS.

Tit. 3. §. 1-mo habetur: quodsi inctus non comparuerit, causa actori secundum petitionem suam adjudicabitur, sic itaque non videtur esse verum, ut sententia absente etiam altera parte (absente e. c. incto) non recitetur, inauditaque causa nemo non damnetur.

RESOLUTIO.

Cum inctus in jus vocatus et non comparens condemnatur, verum est, quod inaudita causa damnatur, verum est, quod sententia lata non utraque parte praesente (quia inctus vocatus in jus, non comparuit) recitatur; sed hic casus unicus et singularis est, cum inctus non comparens ob contumaciam suam convincitur, actorique sententia pronunciatur.

DUBIETAS XX.

Tit. 11. §. 5-to habetur, quod provocatio (appellatio) non detur in iis, quae dilationem non patiuntur. Sed quaeritur? quae sunt illae causae, quae dilationem non patiuntur?

RESOLUTIO.

Causas illas dilationem non pati censeo, quarum substrata brevi tempore corruptioni exposita esse judex arbitraverit.

THESIS XXI.

Tit. 11. §. 6-to dicitur in causis injuriarum appellationem non esse denegandam etiam a foro inclytae universitatis.

ANTITHESIS.

L. 4. t. 5. §. 4 to habetur: in actione injuriarum, reos convictos ultra senatus cognitionem provocare non posse.

RESOLUTIO.

Hanc contrarietatem genitor meus Joannes quondam Nagy, piae memoriae, judex regius inclytae sedis Szászváros per plures annos, ita solvere tentavit: combinatis his duorum titulo- „rum paragraphis evenit, actiones injuriosas du- „plici sensu intelligendas venire. Esse 1-mo quas- „dam, super re mobili vel immobili exortas, „quasdam vero ex convitiis profluxas, unde as- „serit 6-tus §. t. 11. primi generis injurias esse „appellabiles, 2-i generis vero injurias, mere ex „convitiis profluentes per judicem et senatum de- „cisas appellari non posse. Hanc contrarietatem a non contemnendo viro ita quoque resolvendam esse audivi, quod scilicet, quia in antithesi manifeste habetur, quod reus convictus provocare non potest, actor possit provocare, consequenter thesis intelligi debet de actore. Haec adsertio, quantum a vero distet, vel approximet, relinquo magnis ingeniis, hoc unum addo pro reflexione mea, contra illam adsertionem, quod Statutor. l. 1. t. 4. §. 4. expressum est, actori non licere, quod reo non permittitur, consequenter si reus convictus appellare non potest, neque actor valebit hoc juris beneficio uti, salva tamen aliorum opinione. Injurias super re immobili vel majoris momenti mobili exortas appellari posse, ex convitiis vero profluentes appellandas haud esse censeo.

DUBIETAS XXII.

Tit. 11 §. 8-vo, mentio fit poenae provincialis, dum legitur, ne territoria seu fines terminales per homines vajvodales vel protonotarios reambulentur sub poena provinciali, qui contrarium tentaverint. Quaeri potest, quae est ista poena? cum nullibi in codice statutorum quod sciam reperiatur, a nulloque quod norim commentatore de hac materia agatur.

RESOLUTIO.

Ex articulo 2-o anni 1613 diei 30-mae decembris Segesvarini ab universitate seculari vel politica inclytae nationis saxonicae condito, colligitur, poenam provincialem esse 60 florenorum. Verba articuli sic sonant: sondern wenn sie (die Obrigkeit) etwas wieder jemanden haben, sollen sie via juris mit Ihnen procediren, sub poena provinciali fl. 60.

DUBIETAS XXIII.

Lib. 1. t. 12. §. 2-do, habetur, quod illi, qui sententiam a judice accepit, executio *intra* spatium 6. hebdomadarum fieri debet. Paulo inferius vero habetur, quod exactis post latam sententiam 6. septimanis executio peragatur.

RESOLUTIO.

Error debet cubare in voce *intra*, deberet esse *infra*, quod ut credam, inducor inde, quod expresse dicatur exactis sex septimanis post la-

tam sententiam, si vero *intra spatium* manebit, ita non bene sonat exactis 6. septimanis, hoc est, non est opus ut 6. septimanae exigantur, seu expectentur, quia intra 6. septimanarum spatium fieri debet executio.

E LIBRO SECUNDO.

DUBIETAS XXIV.

Lib. 2. t. 1. §. 4-to dicitur: inter eas personas, quae parentum liberorumque locum inter se obtinent, contrahi nuptias non posse; sed quae sunt illae personae?

RESOLUTIO.

Institutionum divi Justiniani imperatoris, l. 1. t. 10. §. 1-mo, post verba: inter se obtinent, additur: veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, vel matrem et filium vel aviam et nepotem, et usque in infinitum. Addendas censerem etiam filios filiasque adoptatas, cum adoptantibus, baptizantes cum baptizatis et eorum susceptoribus, qui pari ratione parentum liberoumque locum inter se obtinent.

DUBIETAS XXV.

Lib. 2. t. 1. §. 10. quid intelligitur per deportationem, et aquae et ignis interdictionem?

RESOLUTIO.

Ut intelligi queant, legatur jus romanum, Instit. Just. l. 1. t. 16, de capitis deminutione. Per deportationem, et aquae et ignis interdictionem intelligo mea opinione exilium, quod usu in natione saxonica recepto per eliminationem e loco nativitatis vel residentiae fieri consvevit.

DUBIETAS XXVI.

Tit. 2. §. 3-tio, habetur, quod foetus si ediderit, dum ex alvo matris egreditur vagitum, qui, intra quatuor angulos domus exaudiri potest, pro enixo vivo homine reputatur. Quaeritur? quid si foetus vagitum non ediderit, sed vita ejus ex aliis signis, puta, motu corporis, pedum, brachiorum, anhelitu, et similibus deprehendatur?

RESOLUTIO.

Siquidem verbis illis: vagitum foetus ediderit etc. magis declaratio ac demonstratio rei continetur, quae declaratio non requiritur, si per alium modum rei demonstratae habeamus notitiam. Jus saxonicum his verbis voluit denotare, quod vocaret partum vivum, cujus vox intra quatuor aedium parietes sonaret, ut hoc magis ad meliorem probationem, quam ad essentiam requiratur; quia emissio vocis indicium vitae certissimum esset.

DUBIETAS XXVII.

Tit. 4. §. 7-mo habetur: quodsi unica fuerit domus, matri tertia pars ejus in habitationem assignabitur perpetuam, sive transeat ad secundas nuptias sive non, *si tamen domus citra damnum dividi possit*, quod senatus cognoscet. Quaeritur, quid si dividi non potest domus citra damnum, hoc in casu, quae est dispositio legis, et quid cum matre agendum?

RESOLUTIO.

Domus unica, quae citra damnum dividi nequit, cedit juxta legem generalem filio, vel hoc deficiente, filiae natu minori matri tamen, filio videlicet vel filia in statu minorenni constituta, una cum minorennibus prolibus inhabitatio haud deneganda, secus enim, nisi cum filio vel filia jam emancipata convenire posset, de alia sibi providendum habebit.

DUBIETAS XXVIII.

Tit. eod. §. 11-mo habetur: quod junior filius, qui scilicet aedes paternas retinet, reliquis cohaeredibus portiones illorum juxta aestimationem solvat. Quaeritur, quando tenetur solvere, si filius iste junior minorennis fuerit tempore divisionis?

RESOLUTIO.

Juniorem filium, paternas aedes retinentem supponitur tantum habere haereditatem, unde occasione divisionis portiones reliquorum cohae-

redum assignari queant, secus enim juxta Stat. l. 2. t. 4. §. 11. non aetate junior, sed alter sibi proximus, qui solvendo par fuerit, domum obtinebit, unde prono fluit alveo, portiones cohaeredum stante divisione esse complanandas.

DUBIETAS XXIX.

Tit. eod. §. 13-io dicitur, quod mortuo patre, matri ususfructus bessis filiorum non acquiritur, sed cum proprietate consolidatur. Quid hoc significat, seu quis hujus legis effectus?

RESOLUTIO.

Hujus legis effectum esse puto hunc, quod matres post mortem patris, super administratione bonorum liberorum suorum in tutela existentium rationi obnoxiae esse solent.

THESIS XXX.

Tit. 5. §. 5-to habetur, quod mulier non admittitur testis in testamentis (excepto tempore pestis).

ANTITHESIS.

Eodem in §pho habetur, quod in testamento adhiberi possunt hi, qui testamenti faciendi jus habent; atqui vero mulier quoque habet jus testamenti faciendi, quod probatur per §phos 1. 9. hujus tituli, consequenter, ex hoc argumento, quod testamentum condere valet mulier, testis quoque esse posset. Quaeritur, quomodo haec contrarietas resolvi possit?

RESOLUTIO.

Quod mulieres tempore duntaxat pestis testificari possint in testamentis, est exceptio a regula generali, §pho allegata fundata, juxta quam omnes, qui testamenti faciendi jus habent, testes esse possunt, nulla proinde contrarietas.

E LIBRO TERTIO.

DUBIETAS XXXI.

Tit. 1. §. 4-tus meminit bonae fidei contractuum, sed qui sunt contractus bonae fidei? nullibi codex meminit.

RESOLUTIO.

Eruditus Huszti Stephanus inquit: qui sint contractus bonae fidei, aut quando considerantur ut tales, quando secus? id nulla lege nostra civili determinatum haberi, verum dependere a circumstantiis et arbitrio judicis, ut sensus sit, aequitatem non secus accipi in contractibus ac in aliis et ideo quando debeat aequitas rigori juris praeferri, arbitrio judicis est relictum. Porro dicit: contractus bonae fidei illi dicuntur, in quibus judex amplam habet potestatem judicandi, non tantum de iis, quae inter partes expresse conventa sunt, sed etiam de illis, quae naturalis aequitas svadet, licet ea in contractu neque dicta neque cogitata sunt per contrahentes. In exemplo: ego vendidi tibi vineam non-

dum perceptis sed pendentibus fructibus; in hoc casu, esto nulla facta sit in contractu fructuum mentio, tamen veniunt in actionem emti, et ex contractu emtionis, cum sit bonae fidei, emtor acquiret et non venditor. Stricti juris autem contractus esse illos, in quibus judex non habet liberam ex aequo et bono judicandi potestatem, sed verbis contrahentium ita adstrictus est, ut nec in plus nec in minus, quam verbis expressum est, reum condemnare potest, seu staut in puris et meris terminis ac finibus solius conventionis; v. g. accepi mille florenos mutuo, nulla de interesse facta mentione ad annum unum, nullum tenebor pro tempore eo solvere interesse. In his contractibus, judices tenori litterarum obligatorialium semet accomodare obstringuntur, et quemadmodum quis semet obligat, ita judicium recipere teneatur.

DUBIETAS XXXII.

Tit. 2. §-pho 4-to habetur, illius causam etiam potiorem esse, qui debitorem in judicio exhibuerit, debitumque in praesentia illius petierit, quam alterius, qui licentia judicis impetrata, debitoris bona arestavit. Quaeritur, sufficitne hoc solum, ut creditor debitorem suum in judicio exhibeat, debitumque petierit, quid si debitor debitum non recognoverit?

RESOLUTIO.

Putarem addendum esse: debitumque praetensum debitor recognoverit; etenim si non recognoscat debitum, non erit liquidum, non erit ens existens, et necesse erit, ut creditor pro-

cessu experiatur actionem suam. Debitorem in judicio qualicunque exhibere, quomodocunque solicitare, haec tamen non sunt argumenta efficacissima pro vera debiti existentia.

THESIS XXXIII.

L. 3. t. 3. §. 1-mo in initio statim dicitur, quod, si creditor sine judicis authoritate occupet res debitoris, de vi privata tenetur.

ANTITHESIS.

Eodem in §pho habetur: quod si creditor in rem debitoris sui intraverit, aut aliquid acceperit, arbitrio judicis mulctabitur. Quomodo ista contrarietas solvatur; siquidem vis privatae poenam esse 20 florenorum, docemur per §phum 5-tum tit. 5. l. 4. Statutor. consequenter si secundum thesim creditor injurians de vi privata teneatur, non arbitrio judicis debet puniri, sed viginti florenis, cur ergo antithesis loquitur de arbitrio judicis?

RESOLUTIO.

Prout contextus §phi, in thesi allati innuit, dispositio legis in thesi allata sonat de illo casu, ubi creditor adversus suum debitorem nondum egit per judicem, hoc est nondum experitur in via juris debitorem suum, et tamen occupat rem debitoris, atque tunc poena vis privatae punitur creditor; si vero litis intermedio, seu stylo statutali loquendo, si creditor adversus debitorem agit per judicem et tunc intraverit in rem debitoris, arbitrio judicis mulctabitur.

DUBIETAS XXXIV.

Tit. eodem §. 6-to dicitur: creditores debiti jactura mulctari, si eorum cujuscunque modi actiones ad potentiorum fuerint delatae personas, sed quaeritur, qui sint intelligendi per personas potentiores, quia leges statutales de hac re silent?

RESOLUTIO.

Potentiores hi censendi sunt ex fine prohibitionis legis statutalis, qui in eo consistit, ne tenuiores importunis potentium intercessionibus opprimantur. Non itaque ex quovis fastigio divitiarum, dignitatis, aut aestimationis debent definiri potentiores, sed tantum ex potestate, qua muniti sunt alios compellendi. Huc pertinent non solum qui jurisdictionem ipsi habent, sed qui judicio assident, aut officio eminentiori praediti sunt, exclusis hinc advocatis seu procuratoribus. Itaque delatio talis actionis ad potentiores fienda prohibetur.

DUBIETAS XXXV.

Tit. 5. §. 7-mo, mentio fit sequestri, seu depositi in sequestro, quod a pluribus in solidum certa conditione custodiendum, reddendumve traditur. Haec definitio convenit cum definitione depositi, siquidem in deposito quoque res custodienda reddendave traditur alicui etc. Quaeritur ergo, quae differentia inter sequestrum et depositum.

RESOLUTIO.

Depositum, aliud est *in specie*, dum res nŏn litigiosa ab uno vel a pluribus deponitur; aliud est *sequestrum*, subdivisum in voluntarium et necessarium, definiturque sequestratio, quod sit rei litigiosae a pluribus facta depositio. Voluntarium est, quod utriusque litigantis voluntate apud amicum deponitur, ea lege, ut is, id victori restituat. L. 110. de V. S., utriusque voluntate, nam quod ab uno litigantium deponitur, sequestrum non est, sed simplex depositum. Necessarium est, quod altera parte invita a judice ob justam causam deponitur in casibus obviis necessariis prudentiae judicis relictis. Voluntarii hujusce sequestri mentio injicitur in §-pho 7. t. 5.

THESIS XXXVI.

Tit. 6. §. 8-vo in fine habetur, quod illi, qui contradicere posset tempore immissionis seu statutionis, emtioni venditioni, et non contradicit; vel si absens et reversus jus suum intra annum non prosequitur, illi inquam praescribitur, quia emtor, prout §phus hicce monet dominium fundi plene consequitur.

ANTITHESIS.

Eodem titulo §-pho 15-to habetur, quod intra duodecim annos potest quis prosequi jus suum, quia prout hicce §phus exprimit, posteaquam per continuos duodecim annos aliquis rem immobilem aliquam possederit, de possessione rei vel dominio nequaquam est amovendus, con-

sequenter illi, qui contradicere potest emtioni venditioni, illi, qui jus habet ad aliquem fundum divenditum, intra 12 annos praescribitur per emtorem; sic itaque juxta thesin praescriptio extinctiva est unius anni, juxta antithesin vero est 12 annorum. Quomodo ergo reconciliabuntur isti duo legum articuli?

RESOLUTIO.

Occurrentes heic duos legum articulos ita reconciliandos esse censeo: quod tam unius quam 12 annorum praescriptiones pro exstinctivis haberi possint, ac debeant, unius anni videlicet ratione eorum jure contradictionis gaudentium, qui non procul absentes et mox revertentes intra annum jus suum prosequi intermittunt; 12 annorum vero, intuitu illorum, qui in exteris ditionibus procul absunt, et intra 12 annorum curriculum revertuntur. Notandum, quod juxta §-phum 17-mum Stat. l. 3. t. 6. minorennium praescriptio a consecuta illorum aetate legitima, hoc est a 20-mo illorum aetatis anno numerari consveverit, adeoque his non erit tardum si absentes fuerint, a vigesimo usque ad 32-dum aetatis annum contradicere, unde sequitur, emtores post effluxum duntaxat 32 annorum ab impetitione coemtae haereditatis finaliter absolutos esse. — Tenui mea opinione illud quoque notari volo, quod praescriptio extinctiva 12 annorum in illo quoque casu habet locum, quando quis rem immobilem justo titulo, puta, emtionis, donationis v. successionis, per continuos 12 annos sine aliqua legitima interpellatione possederit, neglectis solennitatibus emtionis venditionis de jure statutalium legum observari solitis.

E LIBRO QUARTO.

DUBIETAS XXXVII.

Tit. 1. §. 2-do dicitur: publica judicia (publica delicta) dicta esse, quod cuivis e populo executio eorum datur. Quid per hanc expressionem: executio — intelligatur?

RESOLUTIO.

Per executionem intelligitur accusatio vel delatio.

THESIS XXXVIII.

Tit. eodem §. 5-to habetur, quod unusquisque ob admissum scelus poenam luit.

ANTITHESIS.

In crimine laesae majestatis non tantum is punitur, qui atrocissimum hoc delictum committit, sed et ejus liberi puniuntur; poena enim hujus criminis est, amissio vitae et universorum bonorum mobilium et immobilium, nulla filiorum et filiarum indivisarum quantumvis innocentium portione excepta. Huszti St.

RESOLUTIO.

Si casum in antithesi allatum ita possumus intueri ac exceptionem, facilis erit contrarietatis istius resolutio. In quantum bona universa

delinquentis amittuntur, nullaque liberorum portio excipitur a poena ista, in tantum liberi quoque ob admissum per patrem eorum scelus puniuntur, in tantum crimen vel poena paterna maculam filio infligere videtur. Notandum: apud persas, si quis crimen laesae majestatis commisisset, et ipse et tota familia puniebatur.

THESIS XXXIX.

Tit. eodem §. 11-mo dicitur: nemo judicatur opere fecisse, nisi et malignum consilium ei fuerit, atque ideo in maleficiis voluntas spectatur non exitus.

ANTITHESIS.

Eodem in §-pho habetur: quod consilium habuisse non nocet, nisi et factum secutum sit.

RESOLUTIO.

Indigitante versione hujus §-phi germanica et commentario Reiszneri, si, *consilium habuisse non nocet*, idem sit ac illud, quod *cogitationis poenam nemo patitur*, facilis erit contrarietatis istius resolutio, ita; ut voluntas spectetur in jure quoad poenam, cogitatio vero (consilium) non.

THESIS XL.

Tit. 2. §. 1-mus dicit in definitione furti, furtum esse ablationem et contrectationem *rei alienae.*

ANTITHESIS.

Eodem titulo §-pho 6-to habetur, quodsi debitor rem suam, quam pignoris causa creditori dedit, subtraxerit, furtum committit, consequenter, cum debitor rem suam aufert a creditore, furtum erit non tantum rei alienae, sed etiam propriae.

RESOLUTIO.

Verum est, quod in §pho 6 agitur de furto, quod dominus in re propria committere potest. Quanquam regulariter nemo rei propriae furtum faciat, hoc tamen de iis saltem rebus, in quibus tertio nullum jus competit, intelligi debet; eae vero res, in quibus alius jus quoddam habet, quodammodo alienae sunt, atque adeo, recte a domino furto subtrahi dicuntur, qui (scilicet dominus) ea mente illas aufert, ut jus tertii intervertat, qualis tertius est creditor, cui dominus rei rem suam pignori dederat.

DUBIETAS XLI.

Quid juris sit, si tertius rei furtivae possessor rem furto ablatam alienet, antequam a domino conveniatur, an is, (alienans) praetium rei furtivae, sed jam divenditae, domino rei divenditae vero restituere teneatur?

RESOLUTIO.

De malae fidei possessore nullum est dubium, nam qui scit rem alterius esse, atque tamen illam, tanquam suam vendit, furtum com-

mittit Stat. l. 4. t. 2. §. 6. Sed de bonae fidei possessore major dubitatio superest. Negantium sententia verior videtur; cum enim pretium non succedat in locum rei, nec pecunia ex venditione rei furtivae profecta furtiva sit, non videtur, quonam ex fonte actio adversus bonae fidei vendentem oriri possit. Unicum casum excipit eruditus Reiszner, si videlicet bonae fidei possessor majus pretium ex re furtiva redegit, quam quo ipse eam olim comparavit, tunc enim in tantum in quantum locupletior est factus, domino et secundum naturalem aequitatem et civilia jura obligatur.

DUBIETAS XLII.

Tit. 4. §. 2-o dicitur, cicatricum nullam fieri aestimationem etc. Quaeritur quid juris, respectu foeminarum et virginum?

RESOLUTIO.

Plerique doctores juris, foeminas, maxime virgines, quibus forma pro dote est, excipiunt, atque in illis cicatricum et deformitatis rationem a judice habendam esse affirmant.

DUBIETAS XLIII.

Tit. 5. §. 5. Quaeritur: Utrum provocatus, qui provocantem interfecit, ultimo supplicio affici queat?

RESOLUTIO.

Sunt qui simpliciter et indistincte, provocatum, si occidat, morte puniri posse, negant, prout et Carpzovius Quaest. Crim. 29. nro 87.

Alii multum interesse putant, quomodo provocatio facta fuerit. Quodsi praesens praesentem verbis contumeliosis lacessiverit atque ad pugnandum statim invitaverit, dandum aliquid est dolori et irae, cujus primum impetum coërcere, non cuivis facile est. Et hujusmodi provocatus non gladio, sed poena extraordinaria ob homicidium commissum plectitur, at is, qui sine verbis contumeliosis, neque confestim, sed e. g. sequente die ad duellum vocatur, et spatio sic ad colligendum animum et temperandos affectus dato, tamen comparet, et adversarium necat, non videtur, quomodo obtentu irae vehementioris sese possit excusare, cum ira non adsit, ubi perseverantia apparet. Reiszner.

DUBIETAS XLIV.

Titulus 6-tus agit de crimine falsi. Quaeritur, quid sit crimen falsi, et quae ad id requirantur?

RESOLUTIO.

Falsi crimen est immutatio veritatis in alterius praejudicium dolose facta. Tria ad hoc requiruntur: 1) dolus 2) immutatio veritatis, 3) damnum.

DUBIETAS XLV.

Tit. 6. §. 5. quare statuitur minor poena adversus illos, qui in aurum vitii quid addunt, et argenteos nummos adulterinos flant, quam adversus cusores falsae monetae, qui flammarum exustionibus mancipantur?

RESOLUTIO.

Commentarius Reiszneri taliter loquitur: „Sed „in sequentibus compilator, per incuriam credo, „mitiorem poenam in idem delictum constituit;“ addit adhuc: „fateor hic, me non perspicere sa-„tis differentiam, quae inter eos, qui nummos „falsa fusione formant, et hos, qui in aurum vitii quid addunt, et argenteos nummos adulterinos flant, intercedat.

DUBIETAS XLVI.

Tit. 7. §. 1. de crimine adulterii agit, absque definitione ejus, quaeritur ergo, quid sit adulterium?

RESOLUTIO.

Adulterium stricte acceptum est delictum carnis, est concubitus mariti vel uxoris cum persona extranea, soluta, vel ligata matrimonio alio. Aliud vocatur *simplex* seu *unilaterale*, dum maritus cum soluta, vel uxor cum soluto commiscetur copula carnali. Aliud *duplex*, seu bilaterale, cum utraque pars delinquens est in conjugio, ut si maritus cum aliena conjuge, vel uxor cum alieno marito coëat.

DUBIETAS XLVII.

Tit. 7. §. 3. qui sunt sollicitatores alienarum nuptiarum, et matrimoniorum interpellatores?

RESOLUTIO.

Sollicitatores nuptiarum alienarum sunt, qui pudicitiam appellant, hoc est blanda oratione attentare non desunt, interpellatores vero, qui nuptias alienae uxoris appetunt.

THESIS XLVIII.

Tit. 7. §. 12·mo habetur, quod vi stuprum illatum in campo, si unico teste comprobatum fuerit, sufficit.

ANTITHESIS.

L. 1. t. 5. §. 12. habetur, quod in causarum cognitione tres vel duo non reprobati testes sint adminus.

RESOLUTIO.

Casus in thesi allatus est exceptio. Vel si personae, cui vis illata est, juramentum per judicem defertur, tunc duo testes erunt hoc quoque in casu, unus· testis oculatus, alter vero persona, vim passa per depositionem juramenti suppletorii.

DUBIETAS XLIX.

Tit. 8-vo §. 2-do habetur, quod damnati criminis laesae majestatis simul et vitam et bona amittunt. Quaeritur, cujus rationibus vindicantur haec bona amissa?

RESOLUTIO.

Sana legis interpretatio evincit, ut bona talia, principis fisco subjiciantur, justum enim est, ut contra quem peccatur, poenae quoque objectum illi tradatur; eo a fortiori argumento, quod fisco civitatis tantum intestatorum simul et in semine deficientium bona solent vindicari. Stat. l. 2. t. 2. §. 13.

DUBIETAS L.

Antequam saxones Transsilvaniae statuta sua haberent, quaeritur quibus juribus et legibus usi fuerint?

RESOLUTIO.

Valentinus Franck, regii gubernii in Transsilvania consiliarius intimus et inclytae nationis saxonicae comes, in libello, quem Brevicul. Orig. Natio. et praecipue saxonicae in Transsilvania anno 1696 excuso nominavit, taliter loquitur: „Antequam saxones statuta sua haberent, „in ferendis legibus (seu, sententiis judicialibus) „antiquo codice manuscripto Norimbergensi, (qui „adhuc in curia Cibiniana visitur, et usque ad nostra tempora noviter inaugurati senatores, impositis super eo digitis, juramento reipublicae obligantur) et consvetudinario jure usi sunt.

Quod vero jure consvetudinario usi fuerint, docet manifeste privilegium Andreanum, insuper praefatio et conclusio litterarum principis Stephani Báthori confirmationalium, pro codice juris municipalis saxonum exhibitarum, in verbis: etiam codicem juris municipalis seu legum et consvetudinum longo usu et observatione rece-

ptarum etc. quo referente, contenta ejusdem non modo juri et aequitati respondere, sed etiam maxima ex parte apud ipsos saxones longa consvetudine observari etc.

Etiam jure civili romano usi sunt. Visus mihi exstitit liber, 39 annis confirmationem codicis statutorum excedens, sequenti inscriptione: *Compendium juris civilis in usum civitatum ac sedium saxonicarum in Transsilvania collectum,* 1544. Nullum ergo dubium, quod saxones usi fuerint etiam jure romano hac aetate.

E LIBRO PRIMO.

THESIS.

L. 1. t. 5. §. 2-do habetur: alienorum instrumentorum potestatem fieri non debere, neque juris neque aequitatis ratione id permittente.

ANTITHESIS.

L. 2. tit. 5. §. 14. contrarium habetur, diciturque quod judex, omnibus quorum interest petentibus inspiciendi, describendique tabulas testamenti potestatem faciat.

RESOLUTIO.

Juxta §-phi 2-di verba ultima t. 5. l. 1. si aliqua ex causa judici aequum fuerit visum, tunc alienorum instrumentorum potestas fieri potest et debet, illa vero aliqua causa esse potest juxta legem in antithesi citatam, tunc, quando interest alicujus; consequenter juxta istam clausulam (quorum interest) nulla contrarietas erit.




UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 09 03 13 11 008 8